


יהוה
INSTITVTIO THEOLOGICA
ANDOVER FVNDATA MDCCCVII
Ps. CXIX.
169.
כדברך
JOH. XVII.
17.
ὁ λόγος


יהוה
INSTITVTIO THEOLOGICA
ANDOVER FVNDATA MDCCCVII.
Ps. CXIX. 169.
כדברך הבינני
JOH. XVII. 17.
ὁ λογος ὁ σος αληθεια εστι
ΑΚΡΟΓΩΝΙ
ΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ.

SACRA PENTECOSTALIA

PIE CELEBRANDA

CIVIBUS INDICIT

ACADEMIAE FRIDERICIANAE HALIS CONSOCIATAE

PRORECTOR CUM SENATU.

INEST

HERMANNI HUPFELDI

PHILOS. ET THEOL. D. HUJUSQUE P. P. O.

COMMENTATIO

DE ANTIQUIORIBUS APUD JUDAEOS ACCENTUUM SCRIPTORIBUS

PARTIC. I. DE AHARONE BEN-ASCHER ET JUDAH CHAJUGO.

HALIS

ED. ANTON.

MDCCCXLVI.

Quae externam V. T. formam nobis a saeculis traditam constituunt, omnium longe intricatissimam et reconditissimam partem constat esse accentuum agmen, tum ipsâ signorum multitudine, tum ordinum vel graduum quo distinctum est varietate impeditissimum. Neque in perspiciendâ ejus internâ indole ac ratione Judaeorum magistris, a quibus universam linguae Hebr. grammaticam accepimus, multum juvamur. Quorum opera si in caeteris grammaticae partibus ad intelligendas rerum causas non magna est, hîc fere nulla esse deprehenditur: ipsi enim mysteria ejus se ignorare fatentur, amissamque musicam coelestem multis queruntur, quam nisi Messiae adventû restitutum iri desperant [1]. Haec adyta reclusisse Christianorum grammaticorum laus est, quemadmodum totius punctationis atque universae linguae. Neque tamen eo spernenda prorsus est Judaeorum opera suâque laude privanda. Relinquitur his provincia propria in quâ non sine fructû desudarunt, et auctoritatem suo jure nacti sunt ad quam nobis confugiendum est. Ut enim non solum universae linguae sonos modosque punctatione nobis tradiderunt verumque pronunciandi modum praeceptis suis accuratius docuerunt, sed etiam quae in quoque genere rariora vel anomala et dubia sunt notarunt et collegerunt (in Masorah praecipue): ita accentuum quoque rationem externam — quo ordine, quâ numeri ratione alter alterum sequatur, quasque patiantur anomalias et variationes, harumque in s. codice locos — diligenter notarunt canonesque ad dirimendam codicum litem non inutiles nobis tradiderunt. Quâ in provinciâ quomodo versati sint, quae initia, quaeque incrementa fuerint istius disciplinae, ex illorum scriptis eruere non inutilem operam censui; praesertim cum recentiori tempore exstiterint qui, quid huic generi tribuendum sit nescii, liberalius quam par est

1) Cf. voces eorum apud *Buxtorfium* de ant. punct. p. 243 ss. coll. p. 360 s. Scilicet hi musicam accentuum rationem esse, et Davidicos quidem templi Salomonici modos eis contineri rati, cantillationem in synagogis usitatam tanquam miseram illius umbram spernebant; fastidiosiores illi quidem suarum rerum aestimatores, et vero rectiores, quam nonnulli ex nostratibus quos audio rursus in ejus admirationem abreptos, ita ut veram hâc inesse accentuum rationem, aut certe musicam primitus fuisse statuant.

hunc sapientiae fontem extollant. Ac primum quidem scriptores ipsos, antiquiores certe, ordine recensere eorumque libellos qui aetatem tulerunt quorumque mihi facta est copia (nam rarissimi sunt), accuratius describere visum est; deinde, si licebit, praecepta de eâ rê potiora quae in Masorah inveniuntur emendata et illustrata exhibiturus.

Jam si initia hujus disciplinae repetimus, ad ipsa artis grammaticae apud Judaeos primordia retro ferimur. Haec enim, si a lexicographiae initiis discesseris (quae omnium prima fuisse videntur) circa punctationem (ניקוד = נִקּוּד) h. e. vocalium accentuumque nec non consonantium ambiguarum punctis appositis notationem, fere versata fuisse deprehenduntur. Quod ex scripturae Hebraicae Semiticaeque universae ratione petendum; quam constat antiquitus meris fere consonantibus (si Vau et Jod exceperis) absolvi, caetera vero quae ad vivum sermonem pertinent quibusque quasi animantur consonantes, ignorare, legentiumque ac recitantium arti relinquere. Quae ars quum in publicâ sacrorum librorum recitatione per tot synagogas usitatâ maximopere requireretur maximique res esset momenti: ab antiquissimis inde temporibus quorum nobis tradita est memoria multum ei tribuisse et tradendae operam navâsse videmus Judaeorum magistros [2], donec, urgente necessitate, tandem vel inviti Syrorum Arabumve exemplo ad punctationis artificium introducendum linguaeque usibus sensim accommodandum et expoliendum ferrentur. Quo facto, non mirum est omnem operam grammaticam primum in eo potissimum positam fuisse ut novum illud punctorum artificium a lectoribus recte et intelligeretur et libris sacris adhiberetur, idemque sibi proposuisse quod oralis institutio hucusque praestiterat h. e. lectoribus librorum ss. ad recte pronunciandum instituendis inserviisse; quem finem sequioribus quoque temporibus ejusmodi libelli non raro ipso titulo prae se ferunt (ut הוֹרָיוֹת הַקּוֹרֵא, עֵין הַקֹּרֵא v. infra). Hinc antiquissimi libelli grammatici in punctis definiendis explicandisque in ordines digerendis et ad canones quosdam revocandis fere versantur; quibus accedebant masorethici s. critici in notandis et colligendis locis difficilioribus et anomalis vel controversis occupati. Idem fere apud Syros et Arabas similem ob causam factum accepimus: ubi artis grammaticae et criticae primordia a vocum lectû difficiliorum vel controversarum punctatione, vel a libellis de recte scribendi et legendi ss. libros ratione (orthographiâ et orthoepiâ),

2) cf. locos Talmudis artem istam tum pueris etiam pro mercede traditam testantes apud *Lud. Cappellum* arc. punct. revel. p. 30 197 sqq. *Buxtorf.* punct. ant. p. 86 sqq.

ac potissimum de punctis (نقط, ܢܘܩܙܐ) et literis ambiguis originem ducunt [3]. Neque tantum ad investigandam veram lectionem aut instituendum lectorem talia apud Judaeos spectâsse videntur, sed etiam ad usûs talmudicos et cabbalisticos h. e. ad fulciendas traditiones rituales vel rimanda mysteria theologica; siquidem Talmudistas in controversiis suis non raro videmus lectionibus a receptâ (מִקְרָא) variantibus (מָסֹרֶת) niti, quae quamvis non serio admissae sed ad juridicum tantum usum fictae sunt [4], tamen veris variantibus earumque notationi et recensioni (operae criticae, quam Masoram vocant) nomen dederunt [5], et fortasse punctationi ansam praebuerunt. Cabbalistas autem vel magis textûs sacri figuris apicibusque immorari constat. Hinc ab extremâ inde Talmudistarum aetate, multo ante grammaticorum nobis superstitum aetatem, libelli de punctis (ניקוד) feruntur [6]; qui etiamsi non sint eorum quibus a posteris tribuuntur (in quibus Talmudistae celebrati Rab Asse et R. Aharon [7]) tamen ad tempora grammaticos antecedentia pertinere videntur; cabbalisticis illi quidem usibus inservientes, sed grammaticis ejusmodi libellis forte viam aperientes.

Haec eo praemisi ut intelligatur quare antiquissimi de accentibus libelli simul in vocalium ponendarum praeceptis versentur. Jam ad hos describendos me vertens non possum non laudare egregiam *Wolfii Heidenheimensis* (vulgo Heidenheim dicti) operam, qui in libro de accentibus prosaicis (ס' משפטי הטעמים Rödelheimii a. 1808 in 8°) ex priscorum magistrorum praeceptis hausto non solum scriptores praecipuos tam manuscriptos quam editos sedulo collectos (ut ben-Ascherum, Chajugum, ben-Bileamum, Jequtielem, Qalonymum, El.

---

3) Tractatûs ejusmodi Arabicos v. Notices et extraits de la biblioth. VIII, 290 sqq. Syriacos apud *Assemanium* B. Or. III, 1, 307 sqq. *Hoffmannum* gr. Syr. p. 27 sqq.

4) v. disputationis meae Kritische Beleuchtung dunkler und misverstandner Stellen der alttest. Textgeschichte, partem secundam diario „Theologische Studien u. Kritiken" anni 1830. fasc. 3. insertam p. 556 seqq.

5) Inde enim Masorae nomen ortum esse existimo. Quae vox cum ex antiquissimo Talmudistarum usu, quem l. c. monstravi, cum universam traditionem juridicam, tum vero singulas ejus lectiones scripturae sacrae hujusque lectionibus receptis (מקרא) opponeret, facile hinc ad variantium omnis generis lectionum caeterorumque quae circa textum sacrum tradita erant notationem et enumerationem translata intelligitur.

6) *Buxtorf.* de punct. ant. p. 55 sqq. 328. In his *R. Saadiae* liber non ipsi tantum in comm. ad lib. Jezirah, sed sequioribus etiam passim citatus, ut Raschio ad Ps. 45, 10.; locum inde allatum vidi in cod. Lips. Simsonis Naqdani.

7) *Zunzius* quidem „gottesdienstl. Vorträge" p. 407 not. horum libros de punctis apud Cabbalistas (Botrilum) citatos prorsus fictos esse censet: sed hi jam sunt apud Maimonidem (comm. ad Jeziram) et Jud. Muscatum (comm. ad libr. Cozri); ibi certe non pro fictis habendi.

1 *

Levitam, Portam accentuum al.) ita congessit et excerpsit ut thesaurus doctrinae acc. Jud. merito dici possit, sed etiam diligenter tum inter se tum cum Masorah contulit crisique adhibita non raro naevos emendavit ac discrepantias sustulit. Ultra magistros suos sapere rerumque causas aperire sane non erat animus, et qui talia apud istum quaerat, deceptum se videbit.

Agmen ducunt duumviri, quorum nomina ex tenebris quibus rei grammaticae apud Judaeos initia obruta sunt, certâ factorum memoriâ ac reliquiis primum in hujus aevi lucem emergunt: alter masorethicae s. criticae artis princeps, R. Aharon ben-Ascher, alter grammaticae, R. Judah Chajug. Aetate quidem fere aequales perhibentur, nimirum ineuntis saeculi undecimi p. Chr.: sed cum ille — quamvis nomen traditione Judaeorum celebratissimum, antiquis illis Palaestinis (קדמונים) accensitum — vix ex antiquitatis tenebris emergat, jam ipsâ patriâ Palaestinâ caeteris occidentalibus remotior, eorum autem quae de accentibus scripsisse fertur manus sit rudior, ab hoc initium fiat.

1. R. Aharon ben-Ascher, vulgo ben-Ascher [8], traditione Judaeorum uno ore ad Tiberienses illos (אנשי טבריא vel חכמי ט׳) refertur,

8) Viri nomen, patria, aetas, conditio — omnia perinde incerta. Apud antiquiores quidem simpliciter vocatur ben-Ascher, a patris tantum vel tribûs nomine, quasi ipsius nomen ignorent; oppositus ben-Naphtali, de quo infra not. 11. Plenius quo nunc usurpatur nomen R. Aharon ben Ascher primum occurrit in inscriptione libelli de accentibus aliisque ejusmodi rebus ad calcem bibliorum rabb. ed. 1517 appositi, additâ simul patriâ Tiberiade his verbis: ממקום מעזיה הנקראת טבריה אשר על ים כנרת מערבה. Quae si ipsi auctori tribuenda esset, authenticum hîc haberemus testem, omnisque de eo apud sequiores memoriae, praesertim appellationis illius obscurae מעזיה, fontem. Verum ex additis pro ejus salute votis non ab ipso profecta esse intelligitur, sed a farraginis illius conscriptore vel collectore addita. Idem nomen apud *Eliam Levitam* in Masoreth hammas. ed. Sulzb. fol. 8, b. (vers. germ. ed. Seml. p. 36), qui illam opinor sequitur. At *Balmesio* in peculio Abrahami plag. d. III. vers. audit R. Moscheh b. Ascher. Denique R. Gedaljae in Schalsch. haqqabb. ר׳ אהרן ב״ר משה משבט אשר (unde Wolfius habet in Biblioth. Hebr.), nomen solâ ut videtur conjecturâ ex illis compositum, neque ullius fidei. — Quod patriam attinet, mira quam supra ex inscriptione libelli de accentibus attuli Tiberiadis appellatio מעזיה apud alios etiam auctores hujus commemorationi adjuncta est, ut apud D. Qimchium Michlol fol. 26, b occurrit, et Eliam Lev. Masor. praef. 3. fol. 11 ed. Sulzb. (qui vel ex Qimchio vel ex inscriptione illâ hausisse videtur); nec praeterea ullus ejus usus deprehenditur. Quae quid sibi velit, neuter significavit, nec ex recentioribus quisquam probabilem ejus sensum attulit. *Seb. Münsterus* de Moesia (Paphlagoniae!) cogitabat; *Buxtorfius* punct. p. 65. malebat מֵעֲסְיָא ex Asia vel in Asia, melius antiquum urbis nomen, antequam Tiberias vocaretur, esse suspicatus. Hoc a vero proxime abesse videtur. Equidem symbolicum nomen duxerim: vel מָעֻזְיָה (a מָעֹז) h. e. munimentum Dei (vel munimentum meum Deus est), vel מַעַזְיָה = solatium Dei (nomen pr. masc. in ipso V. T. obvium 1. Chr. 24, 18. Neh. 10, 9.). — Aetatem autem ejus antemasorethicam esse, vel inde liquet quod in punctando aliquâ usus est libertate, quam Masorethae sibi minime arrogabant, notandis codicum variantibus contenti.

a quibus universam codicis sacri recte legendi et scribendi artem apud Judaeos traditam repetunt[9]. Inter hos principem locum obtinebat ben-Ascher, cujus et codex jactatur summâ curâ descriptus et multoties per longam annorum seriem correctus (primum Hierosolymis deinde in Aegypto asservatus ut ex eo libri corrigerentur, inde **Aegyptius** dictus), quo omnes teste Maimonide[10] nitebantur; et etiamnum fertur lectionum variantium collectio inter ipsum et aequalem ejus **ben-Naphtali**[11] controversarum, quas et ipsas sequuntur Judaei[12]. Ejusdem fertur libellus de **accentibus** rhythmico sermone conscriptus, qui bibliis rabbinicis a Felice Pratensi a. 1517 Venetiae editis in calce subjunctus est, unâ cum aliarum observationum masorethicarum farragine confusâ et multis mendis foedatâ, prout in codice quodam invenerant editores, hisque ipsis parum intellectâ (ut in epilogo fatentur); cujus potiora alter bibliorum rabbinicorum editor et Masorae instaurator, R. Jaqob ben-Chajim, Masorae finali inseruit[13]. Tractatus autem de accentibus, in fronte illius farraginis positus, du-

---

9) Duplici illa quidem continetur laude: 1) recte **legendi** et **pronunciandi** peritiâ, quâ illi uni omnium excelluisse feruntur (ut jam apud Chajugum); 2) accurate et emendate **describendi** et **punctandi** solertiâ conservandaeque verae lectionis fide; proinde universae Judaeorum circa textum s. traditionis fons ac fundamentum, posteriorumque librariorum (סופרים, diversi hi quidem ab antiquis סוגרים i. e. codicis s. peritis criticaeque s. principibus), punctatorum (נקדנים), correctorum (vel Masoretharum) et Grammaticorum duces et principes praedicantur. Videsis *Buxtorf.* de ant. punct. p. 21 ss. *Luzzatto* prolegomeni ad una gramm. rag. della ling. Ebr. (Parm. 1836) p. 23 not. et §. 147.

10) Maim. Hilchoth S. Torah 8, 4 ap. El. Levitam Mas. Hammas. fol. 8, b et Buxtorf. ant. punct. p. 273.

11) Hujus nomen et ipsum apud sequiores plenius sonat: apud Balmesium et Eliam Lev. ll. cc. **Jaqob** ben-Naphtali, apud Gedaljam **Moscheh ben-David** e tribu Naphtali. Balmesius duplici eum ornat epitheto מוֹרֶה et הַסּוֹפֵר (ben Ascherum non item, ad quem transfert Buxtorf. p. 263), quod quamvis proprio Marte dixerit, certe non improbabili conjecturâ. Verum caetera omnia: Babylonium fuisse, Babyloniosque Judaeos ejus lectiones sequi, non minus quam principes academiarum fuisse duumviros istos, nil nisi commenta sunt temere ab *Elia Lev.* asserta l. c. Ibi cum verba ראשי ישיבות sequatur במסרת, interpres germ. ed. Semler p. 36. de **academiis masorethicis** cogitavit (vertens „Lehrer in der Massore"), quas ipse *Luzzatto* l. c. passus est sibi imponi. Sed istae nec aliâs auditae sunt, nec tali formulâ appellari potuissent, siquidem hoc nomine ישיבות juridicae tantum scholae veniunt, ישיבות במסרת autem vix hebraice conjungi posse videatur. Hinc non dubium במסרת ad sequentia trahendum, ut haec sententia efficiatur: „**in Masorâ nomen alterius esse Jaqobum ben-Naphtali**". Quod quamquam nostrâ Masorâ finali non comprobatur, ubi tantum בן אשר, tamen Elias de suâ non temere dixerit.

12) De auctoritate ben Ascheri apud Judaeos v. *Buxtorf.* ant. punct. p. 264 s. *Luzzatto* prolegg. p. 23 not. qui ejus punctationem certe plerumque observari ait. Majorem ejus auctoritatem esse quam Masoretharum, qui codices religiose sequebantur, Maimonides quoque testatur Seph. Tor. c. 8, cf. supra not. 8.

13) In hâc ipsâ v. חלק quidem haec omnia magno labore ordinata et castigata ad cal-


יהוה
INSTITVTIO THEOLOGICA
ANDOVER FVNDATA MDCCCVII.
Ps. CXIX. 169.
כדברך
הבינני
JOH. XVII. 17.
ὁ λογος ὁ σος αληθεια ἐστι
ΑΚΡΟΓΩΝΙ
ΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ.

SACRA PENTECOSTALIA

PIE CELEBRANDA

CIVIBUS INDICIT

ACADEMIAE FRIDERICIANAE HALIS CONSOCIATAE

PRORECTOR CUM SENATU.

INEST

HERMANNI HUPFELDI

PHILOS. ET THEOL. D. HUJUSQUE P. P. O.

COMMENTATIO

DE ANTIQUIORIBUS APUD JUDAEOS ACCENTUUM SCRIPTORIBUS

PARTIC. I. DE AHARONE BEN-ASCHER ET JUDAH CHAJUGO.

HALIS

ED. ANTON.

MDCCCXLVI.

Quae externam V. T. formam nobis a saeculis traditam constituunt, omnium longe intricatissimam et reconditissimam partem constat esse **accentuum** agmen, tum ipsâ signorum multitudine, tum ordinum vel graduum quo distinctum est varietate impeditissimum. Neque in perspiciendâ ejus **internâ** indole ac **ratione** Judaeorum magistris, a quibus universam linguae Hebr. grammaticam accepimus, multum juvamur. Quorum opera si in caeteris grammaticae partibus ad intelligendas rerum **causas** non magna est, hîc fere nulla esse deprehenditur: ipsi enim mysteria ejus se ignorare fatentur, amissamque musicam coelestem multis queruntur, quam nisi Messiae adventû restitutum iri desperant [1]. Haec adyta reclusisse Christianorum grammaticorum laus est, quemadmodum totius punctationis atque universae linguae. Neque tamen eo spernenda prorsus est Judaeorum opera suâque laude privanda. Relinquitur his provincia propria in quâ non sine fructû desudarunt, et auctoritatem suo jure nacti sunt ad quam nobis confugiendum est. Ut enim non solum universae linguae sonos modosque punctatione nobis tradiderunt verumque pronunciandi modum praeceptis suis accuratius docuerunt, sed etiam quae in quoque genere rariora vel anomala et dubia sunt notarunt et collegerunt (in Masorah praecipue): ita accentuum quoque rationem **externam** — quo ordine, quâ numeri ratione alter alterum sequatur, quasque patiantur anomalias et variationes, harumque in s. codice locos — diligenter notarunt canonesque ad dirimendam codicum litem non inutiles nobis tradiderunt. Quâ in provinciâ quomodo versati sint, quae initia, quaeque incrementa fuerint istius disciplinae, ex illorum scriptis eruere non inutilem operam censui; praesertim cum recentiori tempore exstiterint qui, quid huic generi tribuendum sit nescii, liberalius quam par est

1) Cf. voces eorum apud *Buxtorfium* de ant. punct. p. 243 ss. coll. p. 360 s. Scilicet hi **musicam** accentuum rationem esse, et Davidicos quidem templi Salomonici modos eis contineri rati, cantillationem in synagogis usitatam tanquam miseram illius umbram spernebant; fastidiosiores illi quidem suarum rerum aestimatores, et vero rectiores, quam nonnulli ex nostratibus quos audio rursus in ejus admirationem abreptos, ita ut veram hâc inesse accentuum rationem, aut certe musicam primitus fuisse statuant.

hunc sapientiae fontem extollant. Ac primum quidem scriptores ipsos, antiquiores certe, ordine recensere eorumque libellos qui aetatem tulerunt quorumque mihi facta est copia (nam rarissimi sunt), accuratius describere visum est; deinde, si licebit, praecepta de eâ rê potiora quae in Masorah inveniuntur emendata et illustrata exhibiturus.

Jam si initia hujus disciplinae repetimus, ad ipsa artis grammaticae apud Judaeos primordia retro ferimur. Haec enim, si a lexicographiae initiis discesseris (quae omnium prima fuisse videntur) circa punctationem (ניקוד = נִקּוּד) h. e. vocalium accentuumque nec non consonantium ambiguarum punctis appositis notationem, fere versata fuisse deprehenduntur. Quod ex scripturae Hebraicae Semiticaeque universae ratione petendum; quam constat antiquitus meris fere consonantibus (si Vau et Jod exceperis) absolvi, caetera vero quae ad vivum sermonem pertinent quibusque quasi animantur consonantes, ignorare, legentiumque ac recitantium arti relinquere. Quae ars quum in publicâ sacrorum librorum recitatione per tot synagogas usitatâ maximopere requireretur maximique res esset momenti: ab antiquissimis inde temporibus quorum nobis tradita est memoria multum ei tribuisse et tradendae operam navâsse videmus Judaeorum magistros [2], donec, urgente necessitate, tandem vel inviti Syrorum Arabumve exemplo ad punctationis artificium introducendum linguaeque usibus sensim accommodandum et expoliendum ferrentur. Quo facto, non mirum est omnem operam grammaticam primum in eo potissimum positam fuisse ut novum illud punctorum artificium a lectoribus recte et intelligeretur et libris sacris adhiberetur, idemque sibi proposuisse quod oralis institutio hucusque praestiterat h. e. lectoribus librorum ss. ad recte pronunciandum instituendis inserviisse; quem finem sequioribus quoque temporibus ejusmodi libelli non raro ipso titulo prae se ferunt (ut עֵין הַקֹּרֵא, הוֹרָיוֹת הַקּוֹרֵא v. infra). Hinc antiquissimi libelli grammatici in punctis definiendis explicandisque in ordines digerendis et ad canones quosdam revocandis fere versantur; quibus accedebant masorethici s. critici in notandis et colligendis locis difficilioribus et anomalis vel controversis occupati. Idem fe e apud Syros et Arabas similem ob causam factum accepimus: ubi artis grammaticae et criticae primordia a vocum lectû difficiliorum vel controversarum punctatione, vel a libellis de recte scribendi et legendi ss. libros ratione (orthographiâ et orthoepiâ),

2) cf. locos Talmudis artem istam tum pueris etiam pro mercede traditam testantes apud *Lud. Cappellum* arc. punct. revel. p. 30 197 sqq. *Buxtorf.* punct. ant. p. 86 sqq.

ac potissimum de punctis (نقط, ܢܘܩܙ̈ܐ) et literis ambiguis originem ducunt [3]. Neque tantum ad investigandam veram lectionem aut instituendum lectorem talia apud Judaeos spectâsse videntur, sed etiam ad usûs talmudicos et cabbalisticos h. e. ad fulciendas traditiones rituales vel rimanda mysteria theologica; siquidem Talmudistas in controversiis suis non raro videmus lectionibus a receptâ (מִקְרָא) variantibus (מָסֹרֶת) niti, quae quamvis non serio admissae sed ad juridicum tantum usum fictae sunt [4], tamen veris variantibus earumque notationi et recensioni (operae criticae, quam Masoram vocant) nomen dederunt [5], et fortasse punctationi ansam praebuerunt. Cabbalistas autem vel magis textûs sacri figuris apicibusque immorari constat. Hinc ab extremâ inde Talmudistarum aetate, multo ante grammaticorum nobis superstitum aetatem, libelli de punctis (ניקוד) feruntur [6]; qui etiamsi non sint eorum quibus a posteris tribuuntur (in quibus Talmudistae celebrati Rab Asse et R. Aharon [7]) tamen ad tempora grammaticos antecedentia pertinere videntur; cabbalisticis illi quidem usibus inservientes, sed grammaticis ejusmodi libellis forte viam aperientes.

Haec eo praemisi ut intelligatur quare antiquissimi de accentibus libelli simul in vocalium ponendarum praeceptis versentur. Jam ad hos describendos me vertens non possum non laudare egregiam *Wolfii Heidenheimensis* (vulgo Heidenheim dicti) operam, qui in libro de accentibus prosaicis (ס' משפטי הטעמים Rödelheimii a. 1808 in 8°) ex priscorum magistrorum praeceptis hausto non solum scriptores praecipuos tam manuscriptos quam editos sedulo collectos (ut ben-Ascherum, Chajugum, ben-Bileamum, Jequtielem, Qalonymum, El.

---

3) Tractatûs ejusmodi Arabicos v. Notices et extraits de la biblioth. VIII, 290 sqq. Syriacos apud *Assemanium* B. Or. III, 1, 307 sqq. *Hoffmannum* gr. Syr. p. 27 sqq.

4) v. disputationis meae Kritische Beleuchtung dunkler und misverstandner Stellen der alttest. Textgeschichte, partem secundam diario „Theologische Studien u. Kritiken“ anni 1830. fasc. 3. insertam p. 556 seqq.

5) Inde enim Masorae nomen ortum esse existimo. Quae vox cum ex antiquissimo Talmudistarum usu, quem l. c. monstravi, cum universam traditionem juridicam, tum vero singulas ejus lectiones scripturae sacrae hujusque lectionibus receptis (מקרא) opponeret, facile hinc ad variantium omnis generis lectionum caeterorumque quae circa textum sacrum tradita erant notationem et enumerationem translata intelligitur.

6) *Buxtorf.* de punct. ant. p. 55 sqq. 328. In his *R. Saadiae* liber non ipsi tantum in comm. ad lib. Jezirah, sed sequioribus etiam passim citatus, ut Raschio ad Ps. 45, 10.; locum inde allatum vidi in cod. Lips. Simsonis Naqdani.

7) *Zunzius* quidem „gottesdienstl. Vorträge“ p. 407 not. horum libros de punctis apud Cabbalistas (Botrilum) citatos prorsus fictos esse censet: sed hi jam sunt apud Maimonidem (comm. ad Jeziram) et Jud. Muscatum (comm. ad libr. Cozri); ibi certe non pro fictis habendi.

Levitam, Portam accentuum al.) ita congessit et excerpsit ut thesaurus doctrinae acc. Jud. merito dici possit, sed etiam diligenter tum inter se tum cum Masorah contulit crisique adhibita non raro naevos emendavit ac discrepantias sustulit. Ultra magistros suos sapere rerumque causas aperire sane non erat animus, et qui talia apud istum quaerat, deceptum se videbit.

Agmen ducunt duumviri, quorum nomina ex tenebris quibus rei grammaticae apud Judaeos initia obruta sunt, certâ factorum memoriâ ac reliquiis primum in hujus aevi lucem emergunt: alter masorethicae s. criticae artis princeps, R. AHARON BEN-ASCHER, alter grammaticae, R. JUDAH CHAJUG. Aetate quidem fere aequales perhibentur, nimirum ineuntis saeculi undecimi p. Chr.: sed cum ille — quamvis nomen traditione Judaeorum celebratissimum, antiquis illis Palaestinis (קדמונים) accensitum — vix ex antiquitatis tenebris emergat, jam ipsâ patriâ Palaestinâ caeteris occidentalibus remotior, eorum autem quae de accentibus scripsisse fertur manus sit rudior, ab hoc initium fiat.

1. R. AHARON BEN-ASCHER, vulgo BEN-ASCHER [8], traditione Judaeorum uno ore ad Tiberienses illos (אנשי טבריא vel חכמי ט׳) refertur,

---

8) Viri nomen, patria, aetas, conditio — omnia perinde incerta. Apud antiquiores quidem simpliciter vocatur ben-Ascher, a patris tantum vel tribûs nomine, quasi ipsius nomen ignorent; oppositus ben-Naphtali, de quo infra not. 11. Plenius quo nunc usurpatur nomen R. Aharon ben Ascher primum occurrit in inscriptione libelli de accentibus aliisque ejusmodi rebus ad calcem bibliorum rabb. ed. 1517 appositi, additâ simul patriâ Tiberiade his verbis: ממקום מעזיה הנקראת טבריה אשר על ים כנרת מערבה. Quae si ipsi auctori tribuenda esset, authenticum hîc haberemus testem, omnisque de eo apud sequiores memoriae, praesertim appellationis illius obscurae מעזיה, fontem. Verum ex additis pro ejus salute votis non ab ipso profecta esse intelligitur, sed a farraginis illius conscriptore vel collectore addita. Idem nomen apud *Eliam Levitam* in Masoreth hammas. ed. Sulzb. fol. 8, b. (vers. germ. ed. Seml. p. 36), qui illam opinor sequitur. At *Balmesio* in peculio Abrahami plag. d. III. vers. audit R. Moscheh b. Ascher. Denique R. Gedaljae in Schalsch. haqqabb. ר׳ אהרון ב״ר משה משבט אשר (unde Wolfius habet in Biblioth. Hebr.), nomen solâ ut videtur conjecturâ ex illis compositum, neque ullius fidei. — Quod patriam attinet, mira quam supra ex inscriptione libelli de accentibus attuli Tiberiadis appellatio מעזיה apud alios etiam auctores hujus commemorationi adjuncta est, ut apud D. Qimchium Michlol fol. 26, b occurrit, et Eliam Lev. Masor. praef. 3. fol. 11 ed. Sulzb. (qui vel ex Qimchio vel ex inscriptione illâ hausisse videtur); nec praeterea ullus ejus usus deprehenditur. Quae quid sibi velit, neuter significavit, nec ex recentioribus quisquam probabilem ejus sensum attulit. *Seb. Münsterus* de Moesia (Paphlagoniae!) cogitabat; *Buxtorfius* punct. p. 65. malebat מֵעֲזְיָא ex Asia vel in Asia, melius antiquum urbis nomen, antequam Tiberias vocaretur, esse suspicatus. Hoc a vero proxime abesse videtur. Equidem symbolicum nomen duxerim: vel מָעֻזְיָה (a מָעֹז) h. e. munimentum Dei (vel munimentum meum Deus est), vel מַעַזְיָה = solatium Dei (nomen pr. masc. in ipso V. T. obvium 1. Chr. 24, 18. Neh. 10, 9.). — Aetatem autem ejus antemasorethicam esse, vel inde liquet quod in punctando aliquâ usus est libertate, quam Masorethae sibi minime arrogabant, notandis codicum variantibus contenti.

a quibus universam codicis sacri recte legendi et scribendi artem apud Judaeos traditam repetunt [9]. Inter hos principem locum obtinebat ben-Ascher, cujus et codex jactatur summâ curâ descriptus et multoties per longam annorum seriem correctus (primum Hierosolymis deinde in Aegypto asservatus ut ex eo libri corrigerentur, inde **Aegyptius** dictus), quo omnes teste Maimonide [10] nitebantur; et etiamnum fertur lectionum variantium collectio inter ipsum et aequalem ejus **ben-Naphtali** [11] controversarum, quas et ipsas sequuntur Judaei [12]. Ejusdem fertur libellus de **accentibus** rhythmico sermone conscriptus, qui bibliis rabbinicis a Felice Pratensi a. 1517 Venetiae editis in calce subjunctus est, unâ cum aliarum observationum masorethicarum farragine confusâ et multis mendis foedatâ, prout in codice quodam invenerant editores, hisque ipsis parum intellectâ (ut in epilogo fatentur); cujus potiora alter bibliorum rabbinicorum editor et Masorae instaurator, R. Jaqob ben-Chajim, Masorae finali inseruit [13]. Tractatus autem de accentibus, in fronte illius farraginis positus, du-

---

9) Duplici illa quidem continetur laude: 1) recte **legendi** et **pronunciandi** peritiâ, quâ illi uni omnium excelluisse feruntur (ut jam apud Chajugum); 2) accurate et emendate **describendi** et **punctandi** solertiâ conservandaeque verae lectionis fide; proinde universae Judaeorum circa textum s. traditionis fons ac fundamentum, posteriorumque librariorum (סופרים, diversi hi quidem ab antiquis סופרים i. e. codicis s. peritis criticaeque s. principibus), punctatorum (נקדנים), correctorum (vel Masoretharum) et Grammaticorum duces et principes praedicantur. Videsis *Buxtorf.* de ant. punct. p. 21 ss. *Luzzatto* prolegomeni ad una gramm. rag. della ling. Ebr. (Parm. 1836) p. 23 not. et §. 147.

10) Maim. Hilchoth S. Torah 8, 4 ap. El. Levitam Mas. Hammas. fol. 8, b et Buxtorf. ant. punct. p. 273.

11) Hujus nomen et ipsum apud sequiores plenius sonat: apud Balmesium et Eliam Lev. ll. cc. **Jaqob** ben-Naphtali, apud Gedaljam **Moscheh ben-David** e tribu Naphtali. Balmesius duplici eum ornat epitheto מוֹרֶה et הַסּוֹפֵר (ben Ascherum non item, ad quem transfert Buxtorf. p. 263), quod quamvis proprio Marte dixerit, certe non improbabili conjecturâ. Verum caetera omnia: Babylonium fuisse, Babyloniosque Judaeos ejus lectiones sequi, non minus quam principes academiarum fuisse duumviros istos, nil nisi commenta sunt temere ab *Elia Lev.* asserta l. c. Ibi cum verba ראשי ישיבות sequatur במסרת, interpres germ. ed. Semler p. 36. de **academiis masorethicis** cogitavit (vertens „Lehrer in der Massore"), quas ipse *Luzzatto* l. c. passus est sibi imponi. Sed istae nec aliàs auditae sunt, nec tali formulâ appellari potuissent, siquidem hoc nomine ישיבות juridicae tantum scholae veniunt, ישיבות במסרת autem vix hebraice conjungi posse videatur. Hinc non dubium במסרת ad sequentia trahendum, ut haec sententia efficiatur: „**in Masorâ nomen alterius esse Jaqobum ben-Naphtali**". Quod quamquam nostrâ Masorâ finali non comprobatur, ubi tantum בן אשר, tamen Elias de suâ non temere dixerit.

12) De auctoritate ben Ascheri apud Judaeos v. *Buxtorf.* ant. punct. p. 264 s. *Luzzatto* prolegg. p. 23 not. qui ejus punctationem certe plerumque observari ait. Majorem ejus auctoritatem esse quam Masoretharum, qui codices religiose sequebantur, Maimonides quoque testatur Seph. Tor. c. 8, cf. supra not. 8.

13) In hâc ipsâ v. חלק quidem haec omnia magno labore ordinata et castigata ad cal-

plicem titulum gerit: primum in epigraphe praefixâ ספר מדקדוקי הטעמים h. e. libellus de subtilitatibus accentuum s. liber grammaticae subtilitatis de acc. (nam grammaticam ut subtilem et accuratam rerum minutissimarum disquisitionem דקדוק vocabant); deinde iterum in exordio שער הטעמים. Sunt autem ejus membra in caeterâ farragine ita disjecta, ut quaenam huc referenda sint, et num continua sit ejusdem auctoris disputatio, an diversa diversorum fragmenta, incertum sit: nam rhythmi quibus sermo non in primo solum sed in caeteris etiam quodammodo ligatus est, in praeceptis grammaticis et masorethicis, tanquam sapientum dictis vel sententiis, apud Judaeos, ut apud caeteros orientales, adeo sunt usitati, ut ex his solis manum ben-Ascheri agnoscere vix possis. Sed cum antiquitatis indolem gerant, nec multum intersit cujus quidque sit auctoris scire, liceat haec, ut fieri solet, ad ben-Ascheri nomen omnia referre.

1) Primum quidem fragmentum s. capitulum post epigraphen accentuum recensionem sistit. Oratio tota rhythmis ligata, ad cujusque accentûs terminationem accommodatis; hinc figuris et imaginibus poeticis parum aptis turgida et satis obscura. Recensio dominos quidem distinguit a ministris, sed ita ut non raro confundat. Dominorum (טעמים) numerum duodecim constituit, secundum luminum coelestium numerum (nempe zodiaci, cujus in astrologia orientali usus praecipuus); qui numerus sequioribus etiam diu mansit intactus, quamvis minime aptus et futili ratione constitutus. Initium ducit a ***Tiphchah*** (quemadmodum Chajugi etiam tabula aliaeque); 2) ***Athnáchah*** (cujus mentio cum statim Tiphchae, utpote cum hâc conjunctae, adjecta sit, sequens הנגדה non alterius accentûs nomen propr. esse videtur, sed verba שניה היא הנגדה ad Athnacham referenda et sic vertenda: altera est haec ei vicina (הַנְּגְדָּה); 3) ***Mercah***; 4) ***Tibhrá*** vel ***Tíbhᵉrá*** (ut in seq. cap.) i. e. Tᵉbhîr; 5) ***Zaqeph***; 6) המסכן; 7) ***Talschá*** (= Tᵉlîschah), quae duplex esse dicitur, anterior et posterior; 8) ***Ṭeres*** = Geresch; 9) ***Ṣinnórí*** (צנורי) i. e. Zarqâ; 10) ***Schóphar*** i. e. Mûnâch et Mahpach, qui apud antiquiores שׁוֹפָר יָשָׁר (vel שׁ׳הוֹלֵךְ) et שׁ׳ הָפוּךְ audiunt, ac proinde voce Schophar comprehenduntur, Mercae oppositi; 11) ***Paschṭá***; 12) מגביה וחוזר. Hos dicit esse plenum et non defectivum accentuum ordinem, ita inter se connexorum ut

---

cem Masorae unâ positurum se esse dicit: sed libellum de accentibus aliaque nonnulla praetermisit, forte nimis obscurum et mendosum visum, ut conjicit *Luzzatto* proll. p. 25. not. 1. Pro eo alium dedit libellum de accentibus („Porta accentuum" dictum), quem ipse composuit ut infra ostendam.

miles et dux, similitudine ab agmine militari desumtâ, quâ multis demum seculis post scriptores usi diversos distinctivorum ordines commode illustrarunt. — Ministros (משרתים vel מ' טעמים ut in clausulâ) autem septem recenset hosce: 1) *Azᵉlâ* = Qadmah, quae semper superior (עולה), eadem tamen descendens et ascendens (מעלה ויורד ועולה [14]) sátis obscure dicitur; 2) *Rᵉbîaʿ*; 3) *Zaqᵉphah parva* (sic!); 4) *Galgal* vel potius „cum Galgâlo mixta“ (quae vox sequioribus modo Dargam modo Jerachum indicat); 5) *Gereschah* (Garschah) quae „a dominis (מטעמים) non separata“ dicitur h. e. inter dominos quoque referenda; 6) מטעם; 7) *Gaʿjâ* „cum omni accentû (conjuncta) apparens“ i. e. Metheg. Hi in clausulâ adjectâ semper conjuncti (סמוכים) et suaves (נעימים) h. e. ad decentem et suavem vocis modulationem (quae Judaeis נעימה, et conjunctivorum praesertim) pertinere dicuntur.

In his mira quaedam et fere inaudita. In dominorum recensione nomina prorsus insolita (si a הנגרה, de qua supra dixi, discesseris) המסכן et מגביה וחוזר. Quorum ille cum „infra habitare“, „duabus virgulis definitus“, et rursus „quasi supra suggestum“ positus dicatur, si quid his tribuendum, haud scio an sit Lᵉgarmeh (Munach Pᵉsîqatus) qui a sequioribus uno ore ad 12 dominos refertur (nam quominus de Mercâ duplici cogites prohibet tum quod haec et extraordinaria plane est, et a nemine Judaeorum inter dominos habetur); alter vero haud dubie est Pazer, ut appositâ voce ובלשון מתפזר non obscure innuitur. *Sinnôri* vel *Sinnôr* aliâs etiam obvium Zarqae nomen [15]; sed in poeticis tantum libris, et ejus potissimum quae cum Qadmah vel Mahpacho composita inter ministros censetur. In ministrorum nominibus inauditae formae femininae זקפה קטנה et גרשה pro masculinis; ignotum autem prorsus מטעם: quod cum claudat agmen unâ cum Gaʿjâ, et dicatur „מיוחד in omni accentû“, vide an non possit esse Pᵉsîq, מַטְעֵם dictus h. e. accentus (dominus) secundi ordinis s. a dominis proximus (cf. מַגְאָל). — Sed magis etiam mira recensionis interna indoles: ut quae non solum admodum sit defectiva, sed etiam dominos cum ministris ridicule con-

14) Eâdem formulâ de Schopharo paulo ante utitur. Hic enim, ut Qadmah, superior tono dicitur (למעלה), unde etiam species ejus עלוי dicta, Mercah autem inferior (למטה). Apud sequiores vero formula עולה ויורד de accentibus quibusdam poeticis (duplici formâ vel sede utentibus) usitata, praesertim Mercah Mahpachatâ.

15) a figurâ petitum videtur, quae in codicibus in litui similitudinem recurvata satis longo ambitû superne in extremae literae apicem descendit, ut vel fuscinam vel aquae ex pelvi effusionem et fere catarractam referre videri possit.

fundat. Dominis quidam admixti ministri Mercah et Munach (qui tamen in clausulâ dicitur saepenumero ministrare si sit superior); ministris autem turpius etiam domini R^ebîa', et qui jam antea inter illos recensiti fuerant, Geresch et Zaqeph parvus (imo inauditae prorsus, ut vidimus, Gereschah et Zaqephah parva.) — Haec omnia tam rudia tamque sunt imperita ut ben-Aschero vix tribuere possis, nisi statuas tabulam et poeticos accentûs respicere et vitiis admodum depravatam esse.

II. Sequuntur, paucis interjectis, caeteris obss. masorethicis interspersa praecepta quaedam de usû accentuum, ministrorum praesertim ejusdem domini alternantium, singulis distincta inscriptionibus (plerumque voce סימן signum h. e. pr. capitulum vel index disputationis, deinde disputatio ipsa); similiter rhythmis, quamquam passim liberioribus, ligata: primum de ministrorum ante T^ebhîrum et Zarqam alternantium ratione; deinde de simili ministrorum in libris poeticis discrimine; denique de Ga'jâ s. Methego et P^esîqo. Haec fere omnia, exceptis poeticis, apud *Heidenheimium*, partim cum caeterorum praeceptis, ben-Bileami praesertim et Masorae, pro more collata. Sed ut quid noster praestiterit appareat, jam singula breviter in conspectu posita consideremus.

1) Primus locus agit de ministrorum T^ebhîri alternantium, Dargae (h. l. שישלא Aram. i. q. Hebr. שלשלת catenula, ut apud Chajugum, a figurâ dictae) et Mercae, ratione. Quae sic constituitur, ut si ministrum et T^ebhîrum tres reges (vocales) intercedant, Dargâ ponatur, si duo vel minus, Mercâ; aliter ac apud Chajugum et ben-Bileamum, quorum posterior rectius duas tantum vocales vel unam cum Schevâ Dargae imponit. Excipiuntur, ut apud sequiores, tres itemque tredecim (vel potius duodecim) loci dubii vel controversi, ubi plerique codd. quamvis defectivo numero Dargam habent; idemque P^esîqo intercedente semper fieri ait, et si adsit nomen divinum יהוה. *Heidenheimius* l. c. fol. 27, b cum dixerat ben-Ascherum in citandis illis tredecim (duodecim) locis alios omisisse in Masorah huc relatos, alios commutâsse remque ex fontibus mss. eruere instituit: tamen eosdem locos affert, uno excepto Jes. 19, 25, etiam in Masorâ et Portâ acc. omisso, pro quo cum istis habet 2 Sam. 20, 6 (sic vero tredecim reverâ efficiuntur); nec plures duodecim locis, vel si tres priores addas, quindecim ex codd. suis et Masoris mss. profert.

Sequitur aliud capitulum, novâ inscriptione distinctum sed eodem pertinens, de T^ebhîro ministrum sibi Mercam in eâdem voce (scil. pro Me-

thego) adsciscente, si nihil nisi Sch^evâ (mobile) intercedat (h. e. in syllabâ purâ Methego aptâ), sin Sch^evâ et Pathach (Chat. Path.) in tribus tantum locis. Idem canon apud ben-Bil'amum et in Portâ accentuum (apud Heidenh. fol. 26, b) sed accuratius traditus, omissis etiam falsis exemplis (sc. quae anacrusi carent); Qalonymo quoque observatus, sed nec Masorae nec editionibus notus [16].

2. Alter locus est similis de Zarqae ministrorum, Munachi et Mercae, vel potius de Mercae pro Munacho Zarqam antecedentis conditionibus (perperam inscriptus דרך אזלא ratio Qadmae, quod haec plerumque praecedit). Canones sermonis quidem rhythmici ampullis obscuriores sed argumento ipso fere iidem ut apud ben-Bil'amum et in Portâ accentuum, quaedam tamen propria sibi vindicantes [17]. Integrum locum exhibuit Heidenh. fol. 17, a cum ben-Bil'amo collatum, sed non sine mendis. De singulis v. append. I.

3. Tertio loco veniunt quatuor (vel tria potius) capitula de versuum in libris poeticis tum initiis tum clausulis h. e. de ministrorum Mercae (לְמַטָּה, inferior) et Munachi (לְמַעְלָה, superior) alternantium usû in diversis versûs ditionibus. Haec pleraque recte et accurate sunt tradita, istaeque reliquiae tanto minus contemnendae quo pauciora de metricis accentibus exstiterunt vel nobis servata sunt Judaeorum praecepta. Primum cap. de Munachi et Mercae ratione agit in initiis versuum h. e. ante Zarqam,

16) Locus iste de distinctivo ministrum suum vel subdistinctivum in eadem voce Methegi loco assumente multo latius patere constat. Nam praeter Zaqephum et Gereschum, quibus hoc certâ lege et constanter fit, caeteri etiam plerique idem passim imitantur, ut Athnach et Silluq (qui et subdist. Tiphchâh et ministros suos assumunt), Tiphchah, T^ebhîr, Paschtâ, R^ebîa, ipsique ministri distinctivorum vicem gerentes, Mercâ, Mahpach et Dargâ; et eâdem quidem numeri lege, ut syllaba et requirat Methegum, et praecedatur anacrusi aliquâ (quae quidem hucusque fere neglecta fuit). Verum loci cuique sunt tam pauci, inque his tantus codicum et editionum nec raro etiam Masorae a caeteris magistris dissensus, ut ratio sit admodum fluxa et precaria. Neque hoc mirum: nam Mercah et Tiphchah, quae in códicibus nec non antiquioribus quibusdam libris impressis etiamnum virgulâ rectâ (non inflexâ) signatae deprehenduntur ac levi tantum inclinatione inter se differunt (quemadmodum etiam superiores ejusdem figurae Qadmah, Paschta et Geresch), primitus figurâ non diversae a Methego fuisse videntur, neque etiam vi, si cum distinctivis suis in eâdem voce compositae Methegi locum occupabant. Quod et testantur nomina huic cum illis communia, Ma'arîch cum Mercah, M^eajj^elâ cum Tiphchah; quae proprie sunt Methegi nomina, ad illas translata. Utique enim hae ex Methegi virgulâ ortae, vel ad sinistram descendente /, unde factus est conjunctivus Mercah, vel retro ad dextram \, unde distinctivus Tiphchah (pariter Geresch et Paschta ex Qadmah).

17) Caeterum isti canones codicibus et edd. nostris parum apti, ut magistrorum solertia operam fere perdidisse videatur. Quod in eo maxime cernitur quod Munachum cum P^esiqo in duobus tantum locis inveniri dicunt, cum in innumeris sit, et omnium usitatissimus.

ubi Mercah recte dicitur obtinere si cadat aut in primam literam aut in alteram praecedente Sch^evâ vel syllabâ dagessatâ, exceptis tribus locis ubi Munach post syll. dagess. — Alterum cap. de „clausulis versuum“ de Munachi et Mercae ante Silluqum ratione agit, ita recte constitutâ ut ille cadat aut in primam literam aut in alteram si praecedat tantum Sch^evâ vel Chateph Pathach: sin vox parva Maqqephata, Mercah; quo dicto cum Mercah nimis arctis finibus coerceatur, in tertio cap. (quod eodem pertinet) commode additur, caetera omnia occupare Mercam. — Quartum (vel tertium potius) de Munacho et Ga'jâ ante Tiphcham anteriorem disputat, sed ratione parum liquidâ; de quibus quod tradit eâdem voce conjunctis, nec codicibus nec aliorum praeceptis consentaneum (v. in append.).

4. Cap. מהלך געיה inscriptum breviter tantum de Methego praecipit; scilicet esse in voce ubi (sequatur) Sch^evâ et Pathach (Chat. Pathach), vel Sch^evâ simplex, appositis etiam exemplis ubi sequitur Dagesch; excidere vero ubi sit Maqqeph.

5. Postremum cap. P^esîqi rationes, de quibus caeteri silere solent, satis copiose et bene exponit, quinque hasce afferens: ut dirimat 1) easdem literas in duabus vocibus conterminas, vel 2) easdem voces repetitas, vel 3) quas religio vetat conjungere, vel 4) sensus suadet sejungere; 5) accentûs (sc. conjunctivos), h. e. vi distinctivâ imbuat. Hunc locum *Heidenheimius* in librum suum fol. 31 integrum recepit, ejusque verbis P^esîqi usum docere satis habuit.

Haec, in primo appendicis bibl. rabb. 1517 folio dispersa, fere sunt quae ben-Aschero tribuuntur. Sed praeter haec, post longius intervallum in secundi folii pag. aversâ iterum occurrunt duo fragmenta de accentibus, quae tamen ben-Aschero posteriora esse tum ex ipso argumento et sermone non rhythmico augurari licet, tum vero inde certum est quod in alterius fine varietas lectionum ben-Ascheri et ben-Naphtali citatur. Primum אלה הטעמים ואלה שמותם inscriptum tabulam accentuum exhibet, verum ita comparatam ut loci quidam V. T. sistantur cum accentibus cuique vocabulo additis, velut Gen. 1, 1 בראשית cum Tiphchah vel Tarchah (quae hoc quoque loco agmen ducit, ut apud ben-Ascherum et Chajugum), ברא cum Schopharo (Munacho), אלהים cum Athnachtâ, et in seqq. Ma'arich (Mercah), D^echî (דחי h. e. Tiphchah ante Sillûqum, de quo infra ad Chajugum); deinde alios locos cum caeteris accentibus, ita fere selectos ut acc. distinctivi cum ministris suis sensim exhibeantur, post Tiphcham et Athnachum hoc fere ordine procedentes: Zarqa et S^egolta, Mahpach et Paschta, Zaqeph magnus et par-

vus, Pazer magnus et parvus (h. e. Qarnê Pharah), Talschâ (Tel. parvâ), Paseq (P^esîq), Qadmâ Az^elâ (Q. cum Geresch) etc. In his plures duplici nomine occurrunt, ut Schôphar gadôl = Munach (quo nomine etiam apud Chajugum venire infra videbimus), סעפא [18] de Athnacho primam versûs vocem occupante, אשל (pr. funis h. e. linea vel virgula i. q. מַקֵּל apud caeteros) de Qadmâ (Gereschi vicario ante Mahpachum); mirum autem plane quod pro Silluqo venit רביעא, in seqq. suo loco non memoratum. — Alterum fragmentum מקצת משפט טעמים praecepta quaedam sistit de conjunctione accentuum sc. distinctivorum cum ministris suis: R^ebi^ai cum Munacho tam simplici quam duplici aut cum Dargâ composito; T^ebhîri cum Dargâ aut Mercah; Paschtae cum Mahpacho aut Mercah. Quorum primum huic proprium et alibi, quantum memini, non obvium![19]; alterum simile illi quod apud ben-Ascherum, sed minus copiose quam ab illo traditum, additamento tamen auctum de praecedentis vocis accentû (Qadmah vel Munach), quem seqtiores etiam respicere solent, sed plane alienum; postremum vero accuratius quam apud ben-Ascherum et Chajugum [20].

Singula vide in Appendice I. ubi textum exhibui quantum licuit emendatum et notis illustratum.

2. Alter duumvirorum est qui grammaticae Hebraicae pater celebratur, R. Judah cognomine Chiug vel Chajjug notus [21], qui circa a. 1020—40 p. Chr. Fessae in Mauritania florebat, urbe tum studiis literarum Hebraica-

18) Rectius aliis סחפא (unde סחופי in Masorah ad Lev. 18, 42 de vocibus Athnachatis), quod Qalonymus recte exponit pelvis inversa quam figura Athnachi refert, a סחף Hebr. Syr. prosternere, et Talm. verbum proprium vasis inversis aliisque impositis (übergestülpt). Ad vocem autem versûs primam cum restringat etiam El. Levita, vide an non sit a סחף Chald. impellere, סְחִיף festinus, סירחופא impetus, inde dictus quod ibi festinanter apparens non respirare possit, a quo Athnachus dictus.

19) Alteram ejus partem v. apud Heidenh. f. 26, a, sed non allato auctore.

20) Hinc exempla Mercae desumsit Heidenh., praecepta ipsa ex ben-Bil'amo et Port. accsistens.

21) Pleno nomine R. Jehuda Ben-David Mauro-Fessanus cognominatus Chajûg, quemadmodum in catalogo grammaticorum apud Aben'ezram in libro Moz^enaim vocatur. Arabice vero Jachja Ben-Davud vel Abu-Zakarja additis perinde cognominibus Alfasi et Chajûg s. Chajûgi. In quibus cum Jachja ben Davud sit pro Hebr. Iehudah ben David, Jachja idem intelligitur esse quod Jehudah. Omnia haec conjuncta in titulo libelli de punctatione, qui habet: ר׳ יהודה נ״ע בר דוד נ״ב הנקרא יחיי, והוא הנקרא אבוזכריא והוא חיוג והוא אלפאסי. Cognomen illud חיוג apud nostrates vulgatum Chiug, cum sit Arabicum, nunc Chajûg vel Chajjûg invaluit, ut jam apud Balmesium (Luzzatto proll. p. 29). Vis autem cognominis prorsus ignota; unde variae conjecturae, quarum novissima a *Leberechtio* in ephemeridibus Halensibus a. 1845 prolata, corruptum esse apud Berberos ex Jachja.

rum inter Judaeos insigni. Hunc jam dudum constabat tres de quibusdam grammaticae Hebraicae capitibus composuisse libros, ex linguâ Arabicâ, quâ auctor pro illorum temporum more et rationibus conscripsit, non multo post a duumviris clarissimis Moseh fil. Geqatiliae et Aben'ezrâ in Hebraicam conversos. Qui postquam diu in bibliothecis delituerant, nec nisi in paucorum notitiam venerant (ut Jo. Morini et Rich. Simonii, quorum citationibus innotuerunt): jam tandem nuper in publicam lucem prodierunt [22]. Horum tertius, ס' הניקוד s. de punctatione (ed. Duk. p. 179—204) [23] tum de vocalibus agit (scilicet iis quae solis punctis continentur ă — ĕ, ā — ē, nominibus Pathach et Qames comprehensae, quas Chajug in libri primi prooemio consulto se dixerat omisisse ut nimis a proposito suo remotas), tum de accentibus. Jam iste de accentibus locus (ed. Duk. p. 191—99) qui שער שמות הניקוד ועניניהם inscribitur [24], primum vocales Qames magnum et parvum, Pathach magnum et parvum, caeteraque puncta — Sch'vâ Dagesch Raphch — iterum recenset; deinde ad accentûs ipsos conversus primum catalogum texit, et dominorum quidem cum ministris suis vel subdistinctivis compositum, hujuscemodi [25]:

22) Grammatische Werke des R. Jehuda Chajjug aus Fetz, aus der Münchner Handschrift zum erstenmal herausgegeben und mit Noten versehen von *Leopold Dukes*. Stuttg. 1844. 200 pagg. 8°. Quae editio operis una cum Ewaldo editi, quod „Beiträge zur Geschichte der ältern Auslegung und Spracherklärung des A. T." inscripserunt, tertio tomo exhibetur. Est versio Aben'ezrae, cujus praeter hoc nullum aliud innotuit exemplum: nam caeteri codd. omnes Geqatiliae versionem exhibent. Verum hic textus satis male habitus, tum editoris incuriâ tum ipsius codicis vitio, et foedissimis mendis inquinatus. Accedit quod versio Aben'ezrae a Geqatilianâ, cujus specimen editor adjecit, valde discrepat, non verbis tantum sed ipso argumento. Unde veram auctoris manum nisi ex Arabico archetypo cognosci non posse intelligitur.

23) Hujus ratio a reliquorum satis diversa, tam argumento quam formâ. Nam cum illi de verbis anomalis s. infirmis accurate et copiose agant, hic in definiendis tum formae cujusque vocalibus tum accentibus, h. e. in praeceptis ad voces recte vocalibus et accentibus efferendas versatur, quemadmodum libelli instituendis lectoribus s. s. inservientes; neque id continua oratione et certo ordine, sed ex diversis tractatulis vel fragmentis, plerumque שער אחר inscriptis, compositus.

24) Titulus nomen exhibet latius patens ניקוד punctorum h. e. vocalium et accentuum; et ipsum tractatûs initium a vocalibus Qames et Pathach, Schevâ etc. exorsum, repetit vocalium caeterorumque punctorum mentionem, quasi haec prima esset nec longa de eis praecesserit disputatio. Patet proprium tractatum esse et a caeteris alienum, quem pro rudi ejus ratione omnium antiquissimum censeas.

25) Infra in appendice II. hunc locum exhibebo ut habetur in codice Heimanni Josephi Michael, Hamburgensis, honestissimi viri nuper defuncti, qui apographum humanissime mecum communicavit.

Tarchâ (vulgo Tiphchach), *Ma'arîch* (Mercah), *Athnâchtâ*, *Schôphar gadôl* (ed. Duk. *qatōn* i. e. Munâch), *Schôphar* קלקל (item Munach), *Maqqîph* (i. e. Mahpach), *Paschet* (Pasch'â), *Zaqeph qaton*, *Zaqeph gadôl*, *Zarqâ*, *Sch^{e}rê* (שרי = Segoltâ) *Dargâ*, *T^{e}bhîr*, *Schalschéleth*, *D^{e}chî*, *Tarsâ* (= T^{e}lîschah magna), *Talschâ* (T^{e}lischah parva), *Qadmâ Azlâ* (Qadmah cum Geresch composita), *G^{e}rîsch* (Geresch solitarius), *Sch^{e}nê G^{e}rischîn* (Geresch duplex), *Pazer parvus*, *Pazer magnus* (Qarnê pharah) qui hinc eâdem figurâ tum temporis usi fuisse intelliguntur, *Jérach ben jômô* (Jérach), *L^{e}garmî* (al. L^{e}garmeh), *Paseq* (P^{e}siq), *S^{e}gôl* (S^{e}goltâ, iterum), *Samûch* s. *S^{e}mîch* (= Maqqeph), *Ma'arîch* iterum (h. l. = Metheg[26]), *Jethîbh*, *R^{e}bîa'*.

Index fere absolutus, supra quam exspectaveris, nec quicquam nisi Sillûqum omittens, qui tamen in ultimo capite p. 197 occurrit; imo vero abundantia quaedam exhibens, ut D^{e}chî, aut diversis nominibus bis memorata, ut S^{e}goltâ, Geresch, Munach. Nomina sic ut in antiquis tabulis usitata, exceptis *Schôphar gadôl*, *Schophar* קלקל, מקיף et דחי, quae aliâs vix occurrunt aut alio sensu. Et *Schophar gadôl* quidem, Munachum significans, hoc nomine etiam in tabulâ alterâ ben-Ascheri fragmentis subjunctâ occurrere supra vidimus. Huic autem Sch. קלקל videtur esse oppositus, ergo i. e. *Sch. qaton* (quod cod. Monac. habet pro ש' גדול), forte = קליל, קל[27]? Inauditum et mirum prorsus Mahpachi nomen מקיף. Denique דחי per se quidem non insolitum Tiphchae nomen, ut in tabulâ illâ post ben-Ascheri fragmenta; idem etiam infra p. 197 formâ דחויה obvium. Sensus quidem per se non obscurus: est enim a דחה impellere sc. ad lapsum, unde דחויה (ex Ps. 62, 4 forte) = lapsa, prostrata, et דחי impulsio, prostratio (ex Ps. 56, 14. 27); quibus Tiphchah appellatur simili ratione quam טרחא fatigatio, scilicet quod prope finem sententiae positus anhelum dicentis spiritum ac paene exhaustum et labantem indicat. Sed quid hoc loco sibi velit, longe post Tarcham iterum veniens, non liquet, nisi forte eam innuat quae est ante Silluqum ut in tabulâ modo memoratâ. Nominibus addita sunt סימנים h. e. symbola s. signa mnemonica (voces memoriáles) in grammaticâ usitata tum literarum vo-

---

26) At in cod. Monac. est סמוך במאריך, quod paulo infra recurrit ubi de Methego in voce Maqqephatâ disputatur. Ma'arich vero proprium Methegi nomen esse hinc ad Mercam translatum v. supra not. 16. Est virgula s. linea producta (sc. ex puncto?) i. q. מקל.

27) Apud sequiores pro Munacho exstat etiam גַּלְגַּל, quod forte idem, et ex illo corruptum.

caliumque, tum 12 accentuum, sed nec numero nec literis tabulae nominibus accommodata, et sine dubio aliunde petita.

Praemissis his nominibus eorumque symbolis jam accingit se ad alterum quod in inscriptione praestandum promiserat, ut eorum rationem explicet (לְבָאֵר עִנְיָנָם). Sequuntur, ut apud ben-Ascherum, praecepta quaedam ad definiendum usum servorum ejusdem domini pro numeri ratione alternantium [28]: Mercae et Mahpachi ante Paschtam; Mercae et Dargae ante Tebhîrum; Qadmae et Munachi (שופר מלמעלה ומלמטה [29]) scil. ante Gereschum ejusque vicarios. Numerum a quo pendet horum variatio perinde eo metitur prout quisque aut in primam literam aut in sequentium aliquam cadat (h. e. prout ictus levi thesi s. anacrusi praecedente aut suffultus est aut destitutus); quod in Qadmae cum Munacho variationem quadrat, at in caeteris rectius a ben-Aschero et sequioribus ex vocalium (vel potius syllabarum) numero repetitur. — Addit alia apud sequiores non obvia: a) ענין סמוך במאריך ושופר ratio (discrimen) Maqqephi cum Methego et Munachi h. e. cur vocula כִּי (in quibusdam locis) modo Munachum habeat modo Maqqephum cum Methego: quod ita definit, ut si sequens accentus cadat in primam literam, appareat Munachus, si in sequentes, Maqqeph. cum Meth.; canon futilis neque nostris codicibus consentaneus. b) Cur Zaqephus in eâdem voce pro ministro sibi adjungat Schopharum modo inferiorem (מלמטה) i. e. Munachum, modo superiorem (מלמעלה [30]): quod eâdem ratione falso ita definit ut si accentus in primam lit. cadat, superior ponatur, si in alteram vel tertiam, inferior [31]. — Post aliena quaedam non ad accentuum sed vocalium locum pertinentia, alia venit quaestio accentuologica de discrimine Schophari [32] כשואי (ed. Duk. כשאוי) et Sch.

---

28) Quorum priora duo etiam in codice Judae ben-Bil'am tanquam Chajugi praecepta hac inscriptione: מאמר יחייא המדקדק i. e. dictum Jachjae (Chajugi) grammatici, appendicis loco exhibentur, ubi exstant in editione ben-Bil'ami Parisiensi.

29) לְמַטָּה de Munacho opposito Qadmae etiam apud ben-Bil'amum. Alibi sic Mercah opposita Munacho appellatur, ut supra apud ben-Ascherum vidimus.

30) Qadmam Magistri Judaei vocare solent, sed est Paschta, subdistinctivus Zaqephi.

31) Verum horum rationem nec sequiores assecuti sunt, nec ipse Heidenheimius, qui fol. 13. 14. recte quidem vidit utrumque non cadere nisi in alteram Zaqephi syllabam (vel potius quam praecedit anacrusis aliqua), Munachum vero in eam quae Methego apta est (h. e. puram), sed alterius syllabam, ambagibus descriptam, non perspexit esse compositam, nec hunc agnovit esse Paschtam.

32) Cum idem fere sit quod apud sequiores עִלּוּי (ut statim patebit), hanc cod. Mich. lectionem sequor, כְּשׁוּאִי punctandam h. e. elatus s. elevatâ voce pronunciatus, ut עִלּוּי; quod inde intelligitur quod praecedente anacrusi ictus altius erigitur, quemadmodum eâdem de causâ Munachum in Qadmam attolli videmus.

קלקל (sunt species Munachi): si in primam lit. cadat, ante Zaqephum esse קלקל, ante Athnachum vero כשואי, si in sequentes, perinde ante Zaq. ut ante Athn. esse כשואי. Vides idem fere discrimen esse quod apud sequiores in Munacho statuunt inter 'Illui (עלוי) et M^e charbel (מכרבל). — Denique discrimen Pazeri magni et parvi ex servorum, Jerachi et Munachi (מיושב 'ש [33] h. l. dicti), diversitate definitur.

Supervenit inopinanti alius tractatus et novâ inscriptione a praecedente distinctus: שער טעמי המקרא ומשרתיהם (quemadmodum fere libellus ben-Bil'ami), et argumenti plane diversi. Hic et ipse accentûs recenset, sed curatius in sex classes et ordines divisos. Primum in prosaicos 21 librorum V. T. et metricos trium libb. אמת. Deinde prosaicos in 12 dominos (טעמים) et 8 ministros. Illos vero in tres ordines pro cujusque tono vel cantu (h. e. pro eo loco quem quisque in versûs s. periodi modis occupat): 1) ידיעה, cui accenset Pazerum T^e lischam et Tarsam (Gereschum); 2) העמדה, cui J^e thîbhum, Zaqephum et Athnachum; 3) עלוי, quo reliquos deputat Zarqam, L^e garmeh, R^e bîam, T^e bhîrum, Tiphcham et Sillûqum (סליק); ratione satis obscurâ. Similes tamen apud ben-Bil'amum occurrit (qui pro ידיעה planius habet ירים הקול ויעלהו, et מונח pro העמדה, paulo distinctior, sed non minus impedita (de qua infra). Numerus 12 dominorum, qui et apud ben-Ascherum, hinc apud sequiores obtinuit, quamquam frivolâ ratione constitutus. Ministrorum catalogus et defectivus et pluribus dominis corruptus; quorum nomina ex „Tiberiensium linguâ“, ut ait, haecce: שופר (Munach), *Talschâ parva* (זעירא) et *magna* (!), *Schophar* הפוך (*Mahpach*), אזלא (Qadmah), *Mercâ*, *Schalschéleth* (h. l. forte pro *Dargâ*, quae ben-Aschero eodem nomine sed Aramaico שישלא, aliis גלגל a figurâ tortâ) et דחויה (idem sine dubio qui supra דחי i. e. Tiphchah). — Metrici trium librorum octo domini et totidem ministri numerantur; domini quidem et ipsi in tres ordines divisi: 1) ידיעה ubi *Pazer* et *Zarqa*, 2) עלוי *R^e bîa'*, 3) העמדה *L^e garmî*, *J^e thîbh*, *Athnâch*, *Tiphchah* et *S^e lîq* vel *SôphPasûq*. Totidem et iisdem nominibus eodemque ordine recensitos videbimus apud Simsonem Hannaqdân (qui hausit ex Judah ben-Bil'am): unde eosdem esse nominaque eodem sensu accipienda patet. Apud Simsonem vero *R^e bîa'* eum quoque complectitur qui nobis R^e bia' Gereschatus; *L^e garmeh* est Mahpach et Qadmah Pesiqo suffultus (P^e siqatus); *Jethîbh* est Tiphchah anterior (inde dictus quod eodem modo accentûs

33) i. q. מֻנָּח positus, solo insidens. Idem nomen apud sequiores pro R^e bi'o venit, scil. Hebraicum pro Aramaeo, ut ait Heidenh. f 6.

figura ante ipsam primae literae vocalem retrahitur), ***Tiphchah*** recte dicitur qui nobis male R^e^bia' Gereschatus audit (nam quae R^e^bi'o ad dextram apposita est virgula non est Geresch sed reverâ Tiphchah, cujus et locum et vim habet). Jam vero ordines illi in quos distinxit dominos singulis satis apti esse intelliguntur. Patet enim eos qui ad priores ידיעה et עלוי referuntur — Pazer, Zarqa, R^e^bhia' — reverâ elevati esse toni (Hochton), caeteros, qui tertium העמדה constituunt, ubi oratio ad finem periodi vergit, cadentis et depressi (Tiefton); quod et sede accentuum indicatur. Hinc prosaicorum divisionem depravatam esse putaverim. — Ministri autem perversissime iidem fere octo exhibentur qui supra in libris prosaicis (nisi quod Az^e^lah desideratur, quod tamen lapsû tantum factum ex numero deinde allato apparet); additis tamen duobus, Schophar כחת et צנור (pro quo eod. Mich. מקל חרטי): unde in clausulâ adjectâ numerus eorum decem constituitur. Haec tabula a sequioribus, ut ben-Bil'ami apud Simsonem, satis diversa est, sed lucis inde aliquid petere potest. Ibi enim inter ministros 1) דחויה Tiphchah, et ea quidem quae passim occurrit in ditione Athnachi, vel eorum qui hujus locum occupant, ante Mercam, ministri plerumque munere fungens. 2) Sinnôr vel potius Sinnorith = Zarqâ Mahpachum vel Mercam in eadem voce, si prima syllaba sit pura, praecedente (de nominis ratione v. supra not. 15.). 3) Schophar כחת Aram. i. q. יוֹרֵד descendens i. e. infra positus, inferior, quod saepius, praesertim in metricis, occurrit oppositum superiori (עולה), i. q. למטה oppos. למעלה (cf. מונח et עלוי); quibus modo Munachum a Qadmâ, modo Mercam a Munacho distingui supra vidimus. Sed de his vix cogitandum, cum jam adsint in tabulâ. Rectius vero Mercam mahpachatam esse duxeris, quam עולה ויורד appellant Judaei certe sequiores (non ben-Bil'am et Simson), pro quo etiam simpliciter dicitur יורד, respectâ tantum Mercâ, cui primaria pars ac fere unica in hoc accentu constituendo tribuebatur, unde in codd. saepissime sola conspicitur, quam a Judaeis specie deceptis constat non pro domino agnitam esse.

Haec excipiunt observationes de accentuum (dominorum) consecutione: quinam repeti possint, et quoties quisque repetitus occurrat; ubi obiter et ex abrupto de discrimine in figuris dominorum et ministrorum signandis observando (illos scilicet ad laevam scribentis (?) sed rectam legentis poni, hos contra); de J^e^thhîbho (ש'ההפוך qui מוכרת separatus sc. a nexu cum seq. i. e. distinctivus, interpungens) ex dominorum numero, et Ga'jâ ex utroque omittendo. Postremo duo versûs exhibentur, in quibus undecim טעמים (distinctivi) habentur, ut unus tantum in utroque desideretur: 2 Reg. 1, 5. Hez. 39, 9.

Appendix I.

Fragmenta libelli ben-Ascheri de accentibus ad calcem bibl. rabb. ed. Fel. Prat. 1517.

זה ספר מדקדוקי הטעמים שהחביר רבי אהרן בן אשר ממקום מעזיה הנקראת טבריה אשר על ים כנרת מערבה·אלהים יניחהו על משכבתו ויקיצנו עם ישני אדמת עפר·המשכילים והמזהירים יזהירו כזוהר הרקיע בגן ערן:

I. Tabula accentuum.[1]

שער הטעמים [2] שנים עשר רשומים · במאורות מקויימים · מהם קטנים· ומהם רמים·חרוזים ולא נעלמים·בפי נבונים וחכמים·בשום שֶׂכֶל [3] חתומים: תחלה היא הטפחה · אשר לאחיה [4] מתוחה·במהרה בא לשיחה·וסמוך לה אתנחה: שניה היא הנגדה·היוצאת ביד ברעדה · מכפלת כפה בלמידה: שלישית היא מארכה מחברת לאחותה [5] בארוכה · ימין ושמאל נסוכה· עומדת כחץ דרוכה: רביעית היא תברא · נמשכת בכל המקרא · כמהפכת היד לברורה · קבועה בתוך תיבה כקורה: חמישית היא הזקף · מכל טעם שקף · מיוסד באצבע שקף: ששית היא המסכן·שהיא לתחתית שכן·בשני מקלות לתכן · כדלעל שעל דוכן: שביעית תלשא בשני טעמים חשה· לפנים ואחור גשה [6] · ונודדת טעמים בדרישה: שמינית היא הנקראת טרס· נדחה בשני אצבעות כפרס · מחבר בלי חרס [7]: תשיעית היא צנורי · ולפני קבלה להורי (?) · מנגח ושכול כארי: עשירי היא שופר · תוארו בו ישפר· מנגח כשור וכפר [8] · נעימתו בל תופר: אחד עשר היא פשטה: בחיך ובלשון קשוטה · ובשני טעמים פשוטה [9]: שנים עשר מגביה וחוזר· ובלשון מתפזר [10]: אלו הטעמים שנים עשר · מלאים בלי מחסר · בדעת ובמוסר · וזה עם זה כאסר · כגבור ושר: והשופר הרבה משרת עולה · ומעלה ויורד ועולה:

---

1) Initium v. apud Dukes literarh. Mittheill. p. 120. ex cod. Luzzatti. — 2) cod. Luzz. סדר סוד ה'. — 3) Alluditur ad Neh. 8, 8. ex mente Talmud. Megill. Bab. cap. 1. fol. 3. Nedar. f. 37, 2. — 4) cod. Luzz. לאחור. — 5) alluditur ad Mercae etymon. — 6) an פָּשָׂה = saltat, huc illuc transsilit, discurrit? cf. seq. נודדת. — 7) חרס opinor pro חֶרֶשׂ testa: „conjunctus sine ruptura". Eadem formula infra II, 2. ubi tamen הרס (ex Jes. 19, 18?) eodem sensu. — 8) lusus etymologicus in שור et פר ad שופר. — 9) etymon Paschtae. — 10) hoc alludere videtur ad Pazerum.

ושבעה משרתים לטעמים חרותים: ראשון אזלא · לעולם עולה · ומעלה
ויורד ועולה: שני רביע[11] · לטעמים יופיע · ובדם יפגיע: שלישית זקפה
קטנה ערופה: רביעי עם גלגל בלולה: חמישי גרשה מטעמים לא פרושה:
ששי מטעם · מיוחד בכל טעם · ברעש וברעם: שביעי געיה · עם כל טעם
ראויה · והיא מהם חנויה: זה כלל הטעמים משרתים נעימים · מגוללים
(pro מְגֻלִּים?) ולא סתומים · מפי סופרים · לעולם סמוכים · לעד לעולמים · עשויים
באמת ותמים · אשרי אדם מצא חכמה ואדם יפיק תבונה:

II. Praecepta quaedam de usu ministrorum.

1. De Dargae et Mercae ante Tᵉbhîrum alternantium usu.

Cf. Heidenh. fol. 27, b seqq.

1. a. סימן שישלה ומארכה · כאשר יהיה בין טעם לטיברא ג' מלכים יהיו
בשישלה במשכים[12] · ואם יהיו שני מלכים או פחות · יהיה במארכה לדבר
צחות · כמו ויבא משה (Ex. 24, 3) · ויתן דויד (1. Chr. 21, 25) · ויבא חושי
(2 Sam. 15, 37) · חוץ מפסוק אחד כי אין לעמד (Ezr. 9, 15) · ועל ג' פסוקים
בחלקו ספרים וסופרים[13] הראשונים · ובני אשר ימנה וישוה (Gen. 46, 17.
et 1. Chr. 7, 30.) · לא תהיה משכלה (Ex. 23, 26) · ומיכאל וישפא ויוחא
(1. Chr. 8, 15) · ושאר המקרא על זה[14] · אם בשלשה מלכים או יותר יהיה
בשישלה ותיברא · ואם בשני מלכים יהיה מארכה ותיברא · חוץ מי"ג פסוקים
עליהם חולקים · ואברהם היו יהיה (Gen. 18, 18) · [את־דם השלמים][15]
לו תהיה שוק (Lev. 7, 33) · וכי יגף שור־איש (Ex. 21, 35) · וישבו בין בית־אל
(ibid. v. 12) · וישם אותם אורב בין בית־אל (Jos. 8, 9) · ארבע מאות איש־
נער (1. Sam. 30, 17) · וכל אשר אין־לו (Deut. 14, 10) דמשנה תורה · אשר
ברכו[16] (Jes. 19, 25) · כשד שלמן (Hos. 10, 14) · הפך ידך דדברי הימים
(2. Chr. 18, 33. sed et 1. R. 22, 34.) · כי לא יוכלו (2. Chr. 30, 3) · אשר
b. תמצא ידך (Qoh. 9, 10) · ואית דאמרי מארכה · וכל פסק דכותיה שישלה ·
כמו ויחלק עליהם לילה (Gen. 14, 15) · ימהר יחישה מעשהו (Jes. 5, 19).
[17] כל דקדקים לא דבר ה' (i. e. יהוה)[18] לעולם בשישלא נכתב ונקרא כגון
2. צוה ה' · דבר ה': סימן תיברא ומארכה אשר יהיו בתיבה אחת · כל תיבה

11) Sic pro רביעי legendum esse rhythmi sequentes suadent. — 12) pro יהיה נמשך sc. vocabulum. — 13) sic legendum (ut Heidenh. fol. 28 a) pro ספרי׳ · ס׳. — 14) sc. יתנהג, ut in seq. cap. — 15) non est locus proprius sed initium versûs ex quo desumtus sequens. Idem accidit Portae accentuum non in hoc tantum loco sed et Jos. 8, 9. Hos. 10, 14, et in isto etiam Masorae. Unde apud hos omnes falso 13 numerati pro 12. — 16) hic locus non exstat apud caeteros (nec ap. Heidenh.), qui pro eo habent 2. Sam. 20, 6. Hoc addito numerus 13 locorum completur. — 17) Hic in textû ed. falsum est intervallum apposito סימן majusculo, quod ad sequens cap. pertinere necesse est. Praeceptum ipsum aliâs non vidi nisi in ultimo fragmento his adjecto. — 18) sic leg. pro דברה, לא autem aut ejiciendum aut כל legendum.

אשר יהיה בה מארכה ותיברא כגון וַיֵּשְׁבוּ בבאר שבע (1. Chr. 4, 28) · יָרֵךְ תהיה בו בראשונה (Deut. 13, 10) · אֶת־יֹשְׁבֵי העיר (Deut. 13, 16) · וַיִּנָּגְעוּ (Jos. 8, 15) · יִשְׂתָּרְגוּ (Thr. 1, 14) · יָרְדוּ · שָׁכְבוּ: כל המקרא על זה יתנהג · אין בה (בא) בין תיברא למארכה בתיבה אחת אלא שבא[19] בלבד· חוץ מן ג׳ פסוקים במארכה ותיברא בתיבה אחד (אחת) ובינידן שוא ופתח· וַתַּעֲלוּ על שפת (Ez. 36, 3) אל תִּלָּחֲמוּ (2. Chr. 13, 12) וידרש יחזקיהו על־הַכֹּהֲנִים (2. Chr. 31, 9)[20]:

2. De Mercae pro Munacho ante Zarqam alternantis usu.

Cf. Heidenh. fol. 17, a.

סימן דרך אזלא (Qadmâ) העולה היא למעלה · אם יש לפניה[21] שופר 1. praec. Qadmah.
וגעיה וזרקה עמהם חנויה · כעימת שופר למטה[22] שניה[23] · כמו וביום a. cum Ga'jâ.
שמחתכם ובמועדיכם (Num. 10, 10) והשביע הכהן את־האשה (Num. 5, 21)
כל ישראל הנמצאים (2 Chr. 31, 1) . חוץ מן פסוקים שבעה · דרכם מזו
נגרעה[24] · יבא עמהם תלשא או תרס[25] מחובר בלי הרס · ואשר יבא את
רעהו ביער (Deut. 19, 5) [ותאר הגבול ונסב לפאת ים][26] אשר על פני
בית־חורון (Jos. 18, 14) וישלח חירם מלך־צור מלאכים (1 Chr. 14, 1
et 2 Sam. 5, 11) ויביאו את־ראש איש־בשת אל־דוד (2 Sam. 4, 8)
באדין קרבו ואמרין קדם־מלכא (Dan. 6, 13) · ואשר ישמיעו ויעבירו קול
במחנה[27] וכן כל דרך פסק על זה הדרך ירוץ[28] · בדבר חרוץ[29] · חוץ משני b. cum Pesiqo
פסוקים . בטעם נפסקים · שופר ופסק עמהם שרויה · ואין כמוהם בכל
הקריאה · כמו ויאמר אליהם ראובן (Gen. 37, 22) · הנה חרדת אלינו
(2 Reg. 4, 13) · וג׳ פסוקים נכונים · מאחיהם[30] כשתכים[31] · אם יצאו c.
בנות־שילו (Jud. 21, 21) ולאיתמר בניו (Lev. 10, 12) לאוצרות לתרומות
(Neh. 12, 14) . וב׳[32] פסוקים מיוחדים · בטעם לא נפרדים · מארכה d.
ושופר וזרקא צמודים[33] · הוא מספר למלך (2 Reg. 8, 5) אשר לא מעמך

19) i. e. Schᵉvâ pro שוא quod statim. Utraque forma apud Chajugum et sequiores quoque promiscue usitata, sed usitatior שוא. — 20) caeteri enim ejusmodi loci habent Metheg — 21) imo אחריה. — 22) i. e. in Mercam, sic vocatam et ben-Bil'amo (apud Heidenh. 16, a.) — 23) Heidenh. male חנויים et שניים. — 24) h. e. vel Munach habent cum Ga'jâ, vel Mercâ sine Ga'jâ. Eosdem ben-Bileam citat tanquam variationis vel discrepantiae aliquid habentes; certe in his codd. variant (ut 2. S. 5, 11. Dan. 6, 13. Ex. 36, 6). Porta acc. silet. Heidenh. in Mas. cod. mscr. ad 2. S. 5, 11 septem locos cum Mercâ notari dicit. — 25) pro תרסא i. e. Telischa parva. Heidenh. habet טרס, sed isti hic nullus locus. Caeterum Telischam immiscet plane alienam. — 26) non est locus proprius, sed cohaeret cum seq. 27) Ex. 36, 6. Sed prima verba non ibi extant, sed desumta ex Neh. 8, 15 loco ejusdem generis, quem pro illo habet ben-Bil'am. Quae Exod. 36, 6 praecedunt non exhibent Telischa. — 28) h. e. altera ratio Mercae pro Munacho positae est Pesiq appositus. — 29) Formula explendi tantum rhythmi causâ adjecta, similis לדבר צחות. — 30) Heidenh. male מאחרי. — 31) Sc. ubi Qadma et Merca eadem voce conjunctae. — 32) sic recte Heidenh. pro בו. — 33) hoc nemini sequiorum observatum, nisi ben-Bil'amo.

2. non praec. Qadmah. ישראל (2 Chr. 6, 32) · וכל שופר אחד · לפני זרקא מיוחד (34 · חוץ מן
עשרה פסוקים (35 · על זה חולקים · ומדרך זה נתוקים · כי תשא את־ראש
בני־ישראל (Ex. 30, 12) לכן אמר לבני־ישראל (Ex. 6, 6) בכל אשר־
התהלכתי (2 Sam. 7, 7) וחברו (parall. 1 Chr. 17, 6) שור ומריא־וצאן לרב
(1 R. 1, 19) וחברו (36 (ib. v. 25) וחצי שבט־מנשה (1 Chr. 5, 18) ויעלו
בבעל־פרצים (1 Chr. 14, 11) נספה מפני־צריך (1 Chr. 21, 12) נגד
היושבים (Ruth 4, 4):

3. De Mercae et Munachi in libb. poeticis alternantium usu.

a. in initiis versuum, ante Zarqam.

סימן ראשי הפסוקים · אשר בשלשת הספרים חקוקים · תלים
a. ואיוב ומשלי חשוקים: אם ראש הפסוקים באותו הנסוק · בדגש עסוק ·
בדגש (ברגש?) כאמו · ולמטה (37 טעמו · בלשון ינעימו · ולא למעלה ירימו ·
כגון רבים אומרים (Ps. 4, 7) חננו יהוה (Ps. 6, 3) משוד עניים (Ps. 12, 6)
b. הלילה ההוא (?). וזהו עניינם · ויופי סימנם · כאשר יהיה בין הטעם בראש
התיבה חרושה · או עם הטעם הנצב · בראש התיבה במחצב · גם למטה
נקצב · כמו מי זה (38 (Ps. 24, 8) אתה סתר לי (Ps. 32, 7) כי בך חסיה
c. (Ps. 57, 2): ואם באות השני מן התיבה · יקדם לה שוא נצבה · בלשון
דבובה · בשפה ערבה · גם הוא למטה · בלשון מבטה · כמו יפה נוף (Ps. 48, 3)
הלא ידעו (Ps. 14, 4) פחדו פחד (39 (Ps. 53, 6) כגפן פריה (Ps. 128, 3)
ad a. פצני והצילני (Ps. 144, 11) וצאן מרעיתך (Ps. 79, 13). חוץ מן ג' פסוקים ·
על אלו חולקים · כי הטעם באות דגשה · וטעמו למעלה (40 · למנצח אל־
תשחת (Ps. 59, 1) אנא ה' (?אנה יהוה (an Ps. 116, 16) ומה לא־תשא
פשעי (Job. 7, 21) (41:

b. in clausulis versuum, ante Silluqum.

סימן סופי פסוקים · תלים ואיוב ומשלי חשוקים · ידע הקורא אשר
1. Munach a. בשלשה ספרים קורא · כי בסופי הפסוקים אם יהיה טעם · בראש התיבה יונעם ·
באות ראשון ינעם · למעלה טעמו · ובפיו ירימו · ושופר ישימו · כמו לא
b. ישב (Ps. 1, 1) שפטי ארץ (Ps. 2, 10). ואם באות השני מן התיבה טעמו ·
ושוא תקדימו · למעלה טעמו · לרום ירימו. כמו ודמו סלה (Ps. 4, 6) למען
חסדך (Ps. 6, 5) וילד שקר (Ps. 7, 15) בדור צדיק (Ps. 14, 5) לארך ימים
c. (Ps. 23, 6) בדרך יבחר (Ps. 25, 12) · ואם יהיה באות ראשון · שוא
ופתחה ודגשון (?) · דרכו על סימן ראשון · יהי למעלה בלשון · ולרום
בלחשון. אני כליותי (Ps. 39, 11) אשר פדית (Ps. 71, 23) אשר כוננת

34) h. e. si servus **solus** est (non stipatus praecedente Qadmâ), est Munach. — 35) totidem et eodem fere ordine Porta acc.; Bil'am ut Jequtiel et Qalonymus habet **novem** et alio ordine. — 36) hunc et Port. acc. affert, at Bil. omittit. — 37) h. e. Mercah. — 38) sed ibi edd. Maqqeph habent. — 39) in edd. Maqqeph. — 40) h. e. Munach. — 41) contrarium, ubi **Munachus** ponendus, siletur, siquidem ex illis per se patet.

(Ps. 8, 4) אֲשֶׁר לֹא־בְרָע (Ps. 10, 6) עֲטֶרֶת פָּז (Ps. 21, 4) עֲשֵׂה מִלְחָמָה
(Pr. 20, 18) : ואם בשתי התיבות טעם סוף הפסוק כנאמו · ותיבה ad. 2.
קטנה עמו · ושתי אותיות מספרה[42] · למטה מאמרה · באות ראשון נאמרה ·
כמו עתקו גַּם־גָּבְרוּ חָיִל (Job. 21, 7) כָּל־חוֹסֵי בוֹ (Ps. 2, 12) (כָּל־
פֹּעֲלֵי אָוֶן (Ps. 5, 6) כָּל־יֹשְׁבֵי חָלֶד (Ps. 49, 2). כי תיבה קטנה · עם גדולה
תכונה · כאחת משכנה · ולמטה טעמה · ובלשון לא ירימה : וחסימן[43] הזה על
שני פנים · לעולם לא משתנים · אחת בראש התיבה · והשנית באות השנית מן
התיבה · אם קודם לו שוא · עמו משתחוה · כי כל תיבה קטנה משתי אותות
אשר תסמך לתיבה גדולה · יהי דרכם דרך תיבה אחת בטעם · ותהיה
נמשכה בטעם מארכה[44] · אבל אם יהיו שלוש תיבות[45] כלם למעלה ·
כמו במזמות זוּ חשבו (Ps. 10, 2) עֵינֶיךָ בִּי ואינני (Job. 7, 8) כדומה להן :
ושאר סופי פסוקים טעמיהם למטה · במארכה היא נמשכה · כמו יוֹמָם 2. Mercah.
וָלָילָה (Ps. 1, 2) אני הַיּוֹם ילדתיך (Ps. 2, 7) אַתָּה תשבחם (Ps. 89, 11)
אַתָּה אֵל (Ps. 90, 2) :

c. **De Munacho ante Tiphcham anteriorem.**

סימן כל תיבה קנויה[46] · בג' ספרים מנויה · אם בגעיה · יהיה שופר a. cum Ga'jah.
לפניה וטרחה[47] מצויה · כגון לְךָ־אֶזְבַּח זבח תודה (Ps. 116, 17) לְכָל־
תִּכְלָה ראיתי קץ (Ps. 119, 96) קְצַר־אַפַּיִם יעשה אולת (Pr. 14, 17) גְּדָל־
חֵמָה נשא ענש (Pr. 19, 19) בְּבוֹא רָשָׁע בא (Prov. 18, 3) בְּנֵי נָבָל גם־בני
(Job. 30, 8) · ואם בלא געיה תצא · שופר בתיבה הראשון תמצא · b. sine Ga'jah.
ולפני טרחה תרצה · כגון לְכוּ וּרְאוּ מפעלות (Ps. 66, 5) לְךָ שָׁמַיִם אַף־
לך (Ps. 89, 12) רְצוֹן מְלָכִים (Prov. 16, 13). וכן בתיבה אחת אם יהיה c.
בה געיה[48] · לעולם אין בשופר מצויה · חוץ משלשת בכל הקריה ·

---

42) h. e. si accentus duas voces occupat (sc. Maqqepho conjunctas, quod mox planius affertur), quarum prima est vocula duarum fere literarum. Hâc enim integrae syllabae anacrusis efficitur, quae Mercam requirit, ut in postremo loco traditur, ád quem haec releganda erant. — 43) Falso in textu ed. novum argumentum novo versu et majusculis vocis primae literis signatur. Non est novum capitulum sed clausula praecedentis, quá supra allatis addito contrario tota quaestio absolvitur. — 44) haec aut repetitionem eorum quae primo loco tradita sunt continent plane importunam, aut potius ea quae modo dicta erant de vocibus maqqephatâ aliâ stipatis distinctione augent inutili. — 45) h. e. discretae, non Maqqepho conjunctae. — 46) Quid hoc sibi velit vix intelligo, nisi sit vox constructa, quae in alterius ditione et potestate tenetur. Apud Simsonem קונים dicuntur pronomina, quae cum sint omnium fere linguae partium semina, illas quasi possidere vel creare videntur. Voces dein allatae utique omnes ministro vel Maqqepho conjunctae cum Tiphchah. De his autem quid statuat noster primo loco, si sint cum Ga'ja, satis obscurum. Videtur omnibus Ga'jam cum Maqqepho imperare, ut pleraeque in codd. et edd.: sed quis tunc Munacho locus? Quem h. l. exclusisse inde quoque intelligitur quod altero loco, si absit Ga'ja, eum introducat. — 47) an leg. לפני הטרחא, ut infra? Ante Ga'jam certe Munachum vix statuerit. — 48) scilicet in eadem voce cum Tiphchah.

יש בהם שופר וגעיה [49] · הֲמִבִּינָתְךָ יאבר־נץ (Job. 39, 26) הֲמִיִּרְאָתְךָ יוכיחך (Job. 22, 4) הָעֹזְבִים (Prov. 2, 13) [50]:

4. De Pesiqi usu cf. Heidenh. fol. 31, a.

באור הפסיק · הפסיק יהיה לחמשה דברים · כאשר תקנו החוזים הישרים · האחד להפריד אות [51] מחברתה · שהיא כמוה ובאה לקחתה · לביאור הלשון · בנעימת לחשון · כמו להגדיל' למעלה (1. Chr. 22, 5) וברזל' לרב (ibid. v. 3) בבל לגלים' מעון (Jer. 51, 37): שנית שתי תיבות · זו לעמת זו כתובות · כגון יהוה' יהוה [52] יום' יום · האח' האח · סביב' סביב · אמן' אמן · הבוגד' בוגד (Jes. 21, 2): שלישית ליראה שלא יסמכו שתי תיבות · זו [לעומת זו] [53] חצובות · והם לא יתכנו להתחבר · ובמלה אחת לדבר · כגון אלוה' רשע (Ps. 139, 19) עמים' אלהים (Ps. 67, 4) רבים' [אל] [54] יהוה (Ps. 119, 56): יהוה' אשנא (Ps. 139, 21): רביעית לתקן המלה · שלא תהיה זו עם זו בלולה [55] · ולהפריד מענה הדבר · לבלתי היות מחבר · כגון עשו' כלה (Gen. 18, 21) ישמע 'אל (Ps. 55, 20) האל 'לנו [56] (Ps. 63, 21): חמישית להפריד בין הטעמים שיהיו מופרדים · איש מאחיו ולא כצמדים · כגון את פאת ים' אלפים באמה (Num. 35, 5) אלעזר הכהן' ויהושע בן נון (Jos. 19, 51) לעלון' לאלה שמיא חנטין (Ezr. 6, 9) [57]:

Appendix II.

. Chajugi tabula accentuum ex cod. Michael.

שער שמות הנקוד ועניניהם · הראשון: קָמֶץ גדול קָמֶץ קטן פַּתַח גדול פתח · קטן שְׁוָא דגש רפא טרחא מאריך אתנחתא שופר גדול שופר קלקל מקיף פשט זקף קטון זקף גדול זרקא שני דרגא תביר שלשלת דחי תרסא תלשא קדמא אזלא גריש שני גרשין פזר קטון פזר גדול ירח בן יומו לגרמי' פסק' סגול סמיך־מאריך יתיב רביע · אלה הם שמותם · ואלה סימנם אויה ב'ג'ד'כ'פ'ת סימן ב'מ'ף סימן אח'הע סימן אַ אָ אֶ אֵ אִ אֻ ה'ע'ט'י'ם כ'חץ חז"ם:

49) Hoc nihil aliud esse potest quam in eâdem voce cum Tiphchah non solum esse Munachum, ut plerique codd., sed etiam Ga'jam, ita ut haec sit in sede Methegi, ille toni, ut passim codd. Sed plerumque Munachus Methegi loco positus (Tiphcha autem cum primae sit literae obnoxia, illum videtur antecedere specie externa). Idem vero praeceptum apud Simsonem, qui tum Munachum in Tiphchae vocem adscitum ait ubi syllaba adsit Methego apta. — 50) Caetera quae h. l. sequuntur ad vocalium potius quam accentuum locum pertinent. — 51) Sic leg. cum Heid. pro את. — 52) Heidenh. praeterea habet אל' אלהים' יהוה Jos. 22, 24. — 53) Haec inserit Heidenh. — 54) Non est in textu bibl. — 55) Sic Heid. pro כלולה. — 56) Non habet Heid. — 57) Recte monet Heid., hoc Pesiq quod quinto loco attulit auctor, esse Legarmeh (h. e. Munachus perpetuo pesiqatus tertiâ ante Rebium voce, et inter distinctivos accentûs locum occupans) ideoque non esse hujus loci.

HALIS TYPIS HEYNEMANNIANIS.

SACRA CHRISTI NATALITIA

PIE CELEBRANDA

CIVIBUS INDICIT

ACADEMIAE FRIDERICIANAE HALIS CONSOCIATAE

PRORECTOR CUM SENATU.

INEST

HERMANNI HUPFELDI

PHILOS. ET THEOL. D. HUJUSQUE P. P. O.

COMMENTATIO

DE ANTIQUIORIBUS APUD JUDAEOS ACCENTUUM SCRIPTORIBUS

PARTIC. II. DE JUDAH BEN-BILEAM, SIMSONE NAQDANO, ET PORTA ACCENTUUM.

HALIS
ED. ANTON.
MDCCCXLVII.

In programmate ad indicenda sacra Pentecostalia nuper emisso de initiis disciplinae accentuum apud Judaeos antiquissimisque qui ad nos pervenerunt scriptoribus sermonem instituimus. Jam novâ disserendi occasione oblatâ, inceptâ viâ procedentes caeteros ex antiquioribus Judaeorum magistris qui de illâ meruerunt dispiciamus, et quae ea hinc incrementa tulerit videamus.

Et tertius quidem qui non multo post duumviros illos, ben-Ascherum et Chajûgum, consideratione venit dignissimus, est R. Jehudah ben-Bil'am, *Toletanus*, qui circa finem undecimi p. Chr. saeculi vel duodecimi initium videtur floruisse. In Ebn 'Ezrae enim catalogo tertium post Mosen Geqatiliae filium, Chajugi interpretem, itemque tertium a fine h. e. ab Ebn 'Ezrae ipsius aetate locum occupat. Ibi nihil aliud de eo refertur quam parvos eum collegisse libros. Verum hi pluris habendi quam aliorum crassa volumina. Duo enim hujus libelli qui nobis servati sunt accentibus potissimum exponendis inservientes in hoc loco tam accurate et copiose versantur, ut omnium ejusmodi scriptorum noster longe gravissimus sit dicendus ac fere classicus.

Quorum hucusque unus tantum doctis innotuerat, isque celebratissimus, qui inscriptus est טעמי המקרא, de accentibus scripturae [1]. In publicam lucem editus est a *Jo. Mercero,* clarissimo quondam literarum Hebr. apud Gallos professore, ac bipartitus quidem: primum ea libri pars quae ad accentûs trium librorum poeticorum pertinet Par. 1556. deinde a. 1565 reliqua de caeterorum 21 libb. accentibus (prosaicis) [2]. Illa quidem prorsus

1) In de Rossii bibliothecâ cod. 488; alibi nullum mihi innotuit exemplum.

2) Utramque editionem recte primus recensuit *J. Buxtorfius* in biblioth. Rabb., ubi voce טעמי המקרא haec habet: „Excusus est Lutetiae ap. Robertum Stephanum in 4° anno 1565. Peculiariter etiam scripsit טעמי ג׳ ספרים אמ״ת tract. de accent. trium libb. Job Prov. et Psalm. Ibidem" (non allato anno). Quem secuti sunt *Imbonatus*, *Paul. Colomesius* in Galliâ orientali p. 48 (in Merceri scriptorum recensu, ubi annus ed. tract. de acc. poeticis, a Buxtorfio omissus, additur 1556) et *J. C. Wolfius* B. H. I. p. 418 (ubi vitium typogr. „saeculo XVI" pro XI. facile cognoscitur, correctum T. III, 301); qui tamen et h. l. et III, 301 editioni falso versionem latinam Jo. Merceri addit, cum operâ tantum illius excusa sit, quemadmodum titulus libri habet et Buxtorfius. Quem Wolfii errorem susceperunt *de Rossi* in catal. codd. et dizionario (qui adeo versionem tantum, non editionem Jo. Mercero tribuit) et *S. D. Luz-*

videtur interiisse, nam nullum hucusque ejus repertum est exemplum. Hujus autem in prooemio auctor propositum suum et argumentum libri definit הבין תנאי דקדוק המקרא בנקודיה ובטעמיה: „docere canones s. praecepta grammatica scripturae s. tam de punctis quam de accentibus ejus" [3]. Unde duae disputationis partes. Prima eaque major (plagg. A—D 2, 13 fere folia occupans) de punctis (נקוד) agit: primum de Dagesch forti et leni hujusque causis; deinde copiose de septem vocalibus, praesertim Qame[s] et Pathach magno et parvo (h. e. Qameṣ, Ṣere, Pathach et Segol, ex termino antiquioribus et Masorae usitato) earumque ponendarum rationibus; denique de Sch[e]vâ [4]. Altera brevior (D 2—F, 10 folia complectens) de accentibus disserit, his verbis exorsa: ועתה אדבר על הטעמים [5].

---

zatto prolegomeni p. 30. — Sed hujus editionis exempla tam rara sunt, ut de Rossi in catalogo nullam a Wolfio bibliothecam quereretur proferri „ubi Mercerianum vel aliud quodvis exemplar delitescat"; et *Dukes* literaturh. Mittheill. p. 187 in Germaniâ et Hollandiâ duo tantum exempla inveniri contenderet. Hoc quidem nimium dictum est: nam in solâ Germaniâ mihi ipsi duo exempla cognita sunt: unum vidi in bibl. acad. Marburgensis, alterum ex bibl. reg. Dresdensi (Phil. hebr. 69) liberaliter concessum meis manibus trivi. Sed cum raritas sit tanta ut vel exstare librum parum aberat quin in dubium vocaretur, accuratius eum describere placet. Inscriptio sic habet:

ספר טעמי המקרא

המתייחס לר' יהודה בן בלעם נ״ע · ונדפס בבי' רובֿרטוס סטיפֿנוס

(etc. Hebraice quae deinceps Latine)

Liber de accentibus scripturae

Autore R. Juda fil. Balaam.

Nunc primum editus op. Jo. Merceri, Reg. lit. Hebr. professoris. Parisiis ex offic. Rob. Stephani typ. Reg. MDLXV. cum privil. Reg. 4°.

In praefatione brevi Mercerus monet: „se ante aliquot annos edendum curavise fragm. R. Judae b. Bil. de accentibus trium libb. אמת, interim dum sese occasio offerret excudendi totius operis de totius scripturae accentibus. Hos qui accurate tractaret ante Eliam Levitam et Kalonymum inter Rabbinos exstitisse neminem praeter R. Judam, vel Kimchio et Abenezra priorem, et ab hoc saepius citatum. In citandis et enumerandis Masorae locis hunc unum antecellere omnes etc. Haec omnia vero communicata a Matth. Beroaldo lit. Heb. Aureliae prof., quem dicit etiam fragmenta prius edita ex bibliothecâ D. Vatabli viri immortalis communicasse, aliaque suo tempore excudenda curaturum promisisse." Tractatus ipse 6 plagulas (24 folia) occupat, sign. A—F; septimam appendix s. spicilegium obss. miscc., quas in fine totius libri repertas in editione priore praetermiserat.

3) Cujusmodi fere argumentum est libelli Chajugiani נקוד. Cf. hujus disput. part. I. p 12.

4) Hunc locum jam Chajugus in prooemio libri de literis quiescentibus attigerat, de Sch[e]vâ praesertim et Dagesch, praetermissis fere consulto vocalium Qame[s] et Pathach rationibus, ut a consilio suo alienis (cf. comment. meam de rei gramm. apud Judaeos initiis p. 20.); quas deinde in libello נקוד copiosius persequitur. Eadem autem ratio quam noster sequitur fere deprehenditur in tractatu circa Masoram finalem כללי הנקוד inscripto (de quo infra).

5) Hanc libri partem *Heidenheimius* in libro suo de accentibus integram fere inseruit, mutato tamen ordine. Hinc ubi quisque apud Heid. reperiatur locus notavi.

1. Et primum quidem de accentibus universis eorumque discrimine et variis rationibus agit, praecognita quaedam vel fundamenta disciplinae sistens. Ubi haecce capita [6]:

1) Recenset accentûs: distinctivos (טעמים) quidem duodecim [7], **eosdem qui apud CHAJUGUM in ultimo capite et eodem fere ordine veniunt:** ***Pazer qatan*** **(imo** ***Pazer*** **universus tam** ***parvus*** **quam** ***magnus*** **i. e. Qarnê pharah),** ***Telischah gedolah, Téres, Jethíbh*** **(incluso** ***Paschtâ*****),** ***Zaqeph, 'Athnáchtâ, Zarqâ, Legarmeh*** [8], ***Tebhîr, Rebhîa', Tiphchah, Sillûq;*** **conjunctivos s. ministros (משרתים) autem novem:** ***Schôphar,*** isque triplex — a) ***Sch. Múnách*** et ***'Illûi,*** b) ***Sch. Karbelâ*** (Heidenh. ***Karbaltâ,*** aliâs, et apud nostrum ipsum, ***Mecharbel***), c) ***Sch. Haphûch*** (vulgo Mahpach) —, ***Telischâ qetannah, 'Azelâ*** (Qadmâ), ***Mercâ, Dargâ, Meajjelâ*** [9] et ***Galgal*** (i. e. Jérach) [10].

6) Haec apud *Heidenheimium* ad verbum omnia, additis glossis et titulis, nec tamen sine mendis et omissionibus nonnullis, recepta, primam ejus libri partem (שער) constituunt, totidem capitibus distinctam.

7) Quam numerandi rationem, a zodiaco desumtam, apud antiquissimos scriptores jam receptam supra vidimus. Omissi sunt *Segolta*, *Schalscheleth*, et *Pesiq*. Ratio in seq. capite de discrimine distinctivorum et conjunctivorum additur.

8) Chald. לְגַרְמֵהּ = Hebr. לְבַדּוֹ, בְּעַצְמוֹ pro se ipso, per se ipse, nomen Munacho pesiqato inditum h. e. sui juris (selbstständig), non amplius alii serviens sed distinctivus factus i. q. מוכרת apud Chajugum de Mahpacho in Jethibum mutato dictum.

9) Sic apud nostrum et posteriores, ut in Masorah, audit Tiphchah in eâdem voce cum Athnacho et Silluqo conjuncta, in syllabâ Methego aptâ, hujusque vicem gerens, ubi Tiphchae in praecedente voce nullus locus fuerat, hinc ab illo nomen nacta, v. hujus commentationis part. I. not. 16. Nomen autem proprie Methegi esse, inde patet quod in *Masorah* ad Gen. 30, 16. Num. 36, 3 et finali (hinc in Port. acc.) pro Ga'jâ, quod est apud ben-Ascherum et ben-Bileamum, ante Zarqam in 18 Pentateuchi locis Merecam comitante usurpatur. Sed Tiphcham esse non Methegum, ex caeterorum analogiâ intelligitur. Quicquid sit, certe inter ministros non ponenda erat.

10) In cod. mscr. biblioth. acad. Hal. masorethico (sign. Yb. 10 in quarto) in primâ paginâ post distinctivorum recensionem (cujusmodi est in Port. acc.) habetur ministrorum tabula quae aperte est ex ben-Bileamo nostro: sed ibi pro תשעה, quod in ed. Par. et ap. Heidenh., legitur שבעה septem: Schopharo quippe pro uno tantum numerato. Quod rectius illo et magis menti ben-Bileami consentaneum putaverim, quia sic tantum intelligitur cur is tres accentûs Schophari nomine comprehenderet. Septem autem numerus a planetis forte petitus est, quemadmodum distinctivorum a Zodiaco. — Apud Chajugum octo ministros numerari vidimus: sed recensio ibi manifesto corrupta et defectiva. Ejicienda Telischah magna, et addendus Galgal (i. e. Jérach). Quo facto si cum nostrâ componas, facile utramque non minus congruere intelliges quam distinctivorum, dummodo Schopharum Haphûch cum primo Schopharo (Munacho) conjungas: iidem accentûs, idemque ordo. Duorum tantum ibi nomina discrepant, supra a me conjecturis tentata, quae jam ex nostrâ lucem suam lucrantur. Nam 1) *Schalschéleth*, quam supra Dargam esse suspicabar, cum eundem ibi locum occupet quem in nostrâ *Darga*, jam manifesto eadem esse deprehenditur; 2) *Dechûjah*, quam cum f. q.

2) **Tum de discrimine inter distinctivos et conjunctivos** agit, quod sic constituitur ut dist. sine ministro esse possit, minister vero non sine distinctivo, eamque ipsam ob causam dictus minister (h. e. ut ille propriâ se vi contineat, hic aliis innitatur). Excipiendos esse a) ***Schalschéleth***, ut quae in libb. poeticis modo dist. sit modo minister, in pros. autem septies tantum occurrat; b) ***Segôlah*** (Heid. ***Segoltâ***), quae nunquam sine praeced. Zarqa; c) ***Paseq*** (Pesîq), qui nunquam sine conjunctivo. Hinc isti supra in distinctivorum recensione in horum numerum non admissi sunt. Quae ratio tam frivola est et captata, ut ficta potius quam vera esse et nil nisi duodenario numero a priscis tradito speciem quandam obtendere videatur.

3) Distinctivos pro cujusque tono vel cantu [11] in tres ordines (חלקים) dividit, quos jam apud Chajugum vidimus [12], nisi quod nomina nonnihil variant: nam primum ordinem pro ידיעה, quod prorsus obscurum, hic plane dicit elevare et attollere vocem (ירים הקול ויעלהו); alterum pro העמדה vocat מונח h. e. depressâ voce (quasi solo depositâ). Addit quoque conditionem alteri: scilicet tres numerari ejusmodi accentûs (Jethibh, Zaqeph et Athnachta), si sequatur vocalis (מלך) in eâdem voce; quo spectat quod in tertio additum est: Tiphcham et Silluqum, si habeant vocalem sequentem in eâdem voce, ad secundum redire [13]. Jam quod ipsam rem attinet: primi ordinis accentibus, Pazero Telischae et Gerescho, in periodi initio positis, quam apta sit vox elevata, quisque videt. Verum alia satis mira et impedita: primum non liquet quid sibi velit tertius ordo עלוי, qui non potest non ad elevatum tonum referri, post secundum מונח depressae vocis veniens, cum secundo potius loco ponendus videatur, alter vero depressae vocis, qui ad finem periodi pertinet, ultimo. Deinde vel magis mireris tum in ordine מונח cum Athnacho componi Zaqephum et Paschtam, tum vero in tertio ordine עלוי cum Zarqa et Rebhiʿo Tebhirum Tiphcham et Silluqum — utrosque tono plane diversos. Jam si eandem ordinum distinctionem in metri-

---

Dᵉchi = ***Tiphchah*** esse intelligerem, supra mirabar inter ministros positam, jam apparet esse singularem illam Tiphchae speciem quae nostro ut posterioribus *Meajjelá* dicitur. Nec minus hinc jam liquet quid sibi velit *Dᵉchi* ille in primâ Chajugi tabulâ longe post Tarcham iterum veniens.

11) חלוקת נעימת הטעמים inscriptum est caput ap. Heidenh.

12) Supra partic. I. hujus disput. p. 15.

13) At tum non tres sunt ejus ordinis accentûs, sed quinque. Unde pro 'ג legendum videtur 'ה, ut hoc potius sibi voluerit auctor: numerum esse tres, sed si sequatur vocalis quinque, siquidem tum accedunt Tiphcha et Silluq. Caeterum quo jure hanc conditionem addiderit, minime liquet.

cis apud Chajugum comparamus: horum nihil deprehendimus quo offendamur: omnia ibi facilia et expedita. Ordo עלוי secundum locum occupat: ultimum, uti res poscit, העמדה = מונח. Deinde accentûs pro toni varietate ita inter ordines distributi ut nec qui depressi sit toni in elevati ordinibus הידיעה et עלוי conspiciatur, nec qui elevati sit in depressi ordine: Zarqâ enim et Rebhia' primis adscripti; Legarmi, Tiphchach, Athnach et Silluq unâ in tertio compositi. Hinc in prosaicis secundi et tertii ordinis descriptio tam apud Chajugum quam apud ben-Bileam aperte depravata et ex metricâ emendanda mihi videtur. Et ita quidem ut עלוי secundum locum occupet, העמדה s. מונח tertium, accentûs vero ipsi loco suo non moveantur, nisi quod Athnachus cum Zarqa et Rebhi'o locum commutet. Sic haec prodit ordinum descriptio: 1) toni ascendentis (ירים הקול ויעלהו): Pazer, Talschah, Téres; 2) elevati (עלוי): Rebhia', Paschta, Zaqeph, Zarqa (et Segolta); 3) depressi: L'garmeh, Tebhir, Tiphcha, Athnach, Silluq.

4) De dist. tum repetitis (מתרדפים) tum non repetitis, et quoties quisque repetitus inveniatur. Haec et ipsa jam apud Chajugum exstant [14].

5) De numero ministrorum (הקמת ה') h. e. quot dist. quisque ministros habere possit: qui unum, qui duos, vel tres, quatuor etc.

6) De viciniâ (שכונה) ministrorum h. e. quos quisque habeat vicinos vel conterminos tum conjunctivos tum distinctivos.

2. Alter locus isque praecipuus et longe maxima libri pars est de singulis 12 distinctivis eorumque rationibus: de cujusque figurâ, speciebus, praecipue vero ministrorum praecedentium numero, varietate et conditionibus, allatis semper eorum quae rariora vel anomala sunt locis biblicis, ad Masorae modum. Haec fere omnia — exceptis illis quae apud Ben-Ascherum de Tebhiri et Zarqae, et apud Chajugum de Tebhiri, Paschtae et Gereschi ministris alternantibus, nec non de Schophari כשואי et קלקל discrimine, deque Zaqepho in eâdem voce Schopharum modo superiorem modo inferiorem sibi adjungente supra deprehendimus [15] — apud nostrum primum congesta aut accuratius tradita inveniuntur, pleraque sine dubio ex Masorah

14) Partic. I. p. 16.

15) v. part. I. p. 8 s. 14 s. Quae ultimo loco supra memorata sunt, noster in Zaqephi capite tractat, ubi tum de Schophari עלוי et מכרבל discrimine eadem fere quae ap. Chajug. de Sch. כשאוי et קלקל, tum de Paschta cum Zaqepho in eâdem voce composito, quem, quia Methegi locum occupat, Methigam (מתיגה) vocat, et in Zaqepho magno virgulâ impositâ non male dicit compensatam (Munachum simili ratione cum Zaqepho compositum silet).

hausta [16]; eaque a posterioribus non tam aucta (nisi levioribus quibusdam) quam clarius vel distinctius tradita et in alium passim ordinem redacta sunt [17].

3. Denique veniunt aliquot capita quibus praecepta varia sine certo ordine continentur:

1) de Ga'jâ (Metheg) *Heidenh.* IV c. 2 f. 45.

2) de sede (חניית) ministrorum h. e. quibus minister quisque distinctivis serviat. Cui respondet aliud caput inscriptum מספר משרתי כל אחד ואחד מאלה הטעמים, h. e. quos distinctivus quisque ministros habeat (cf. 1, 5). *Heidenh.* II c. 3. fol. 32. et III, c. 5 fol. 38 a.

3) de viciniâ (שכונת) s. consecutione distinctivorum h. e. de ordine quo alter alterum sequitur: tum legitimâ (על דרך חק) et ab exceptionibus immuni; tum decente vel libito (על ד' ראוי), quem liceat transgredi. Quo spectat etiam aliud caput de ordine vel série (סדר) distinctivorum, summam praecedentis exhibens; et quod his contrarium de consecutione non licitâ h. e. quosnam cuique non liceat sequi. *Heidenh.* III c. 1—4 fol. 32—37.

4) In fine subnexa est abrupta disp. de vocibus et formis quibusdam מלרע et מלעיל h. e. accentu circa ultimam et penultimam variantibus (modo oxytonis modo paroxytonis) [18].

Praeter hunc ben-Bileami librum alius in bibliothecis hucusque ineditus delitescit [19], titulo tantum notus, qui varie exhibitus [20], aut הוֹרָיַית הַקּוֹרֵא

16) Hanc tum temporis jam et exstitisse hôc observationum genere quod ad vocales et accentûs pertinet auctam, et nostro cognitam fuisse, inde patet quod in primâ libri parte de vocalibus saepius citatur. In hâc quidem de accentibus citari non annotatum in schedis meis reperio: sed cum eâ usus sit, vix dubium esse potest quin in hoc quoque loco usus fuerit, praesertim in tanto cum illâ consensu. Idem Heidenh. statuisse videtur, qui fol. 30 b dicit eum Masorae observationem in librum suum transtulisse (העתיק).

17) Hunc locum *Heidenheimius* in libri sui parte alterâ (שער ב') cap. 1. fol. 12—30 fere totum quidem in usum suum vertit, sed ordine et verbis potius Portam accentuum secutus, quâ tanquam fundamento usus nostri aliorumque praecepta superstruxit.

18) Ultimam plagulam occupat appendix paralipomenôn, quae in calce codicis post tractatum de metricis accentibus reperta tum cum hunc ederet praetermiserat editor. Ibi post miscella quaedam tum grammatica tum masorethica (Chald. etiam sermone expressa) in ult. pag. exhibentur fragmenta nonnulla Chajugiana (מאמר יחיי המדקדק inscripta) de Paschtae et Tebhiri ministris alternantibus, de Jethibhi et Mahpachi discrimine et de Garmeh quaedam; quorum duo priora in textu Chajugi edito deprehensa supra vidimus part. I. p. 14.

19) de Rossi cod. 764. Vatic. 402. Oppenh. 1370.; et ex Arab. quidem sermone in Hebr. translatus a R. Menachem b. Nathanel (vel, ut est in cod. Oppenh., R. Nathanel b. Meschullam).

20) Plerumque ex Eliâ Lev. in Mas. ed. Sulzb. f. 9 b הוריית הקורא, quod et Seb. *Münsterus* in vers. lat. p. 44 et germ. interpres ed. *Seml.* p. 52 et *Buxtorf.* ant. punct. 261 ef-

aut הוֹרָיוֹת ה' efferendus, sensum non dubium praebet **institutio lectoris** (Anweisung für den Vorleser) h. e. recte legendi et pronunciandi codicem sacrum. Atque haec ipsa sunt in quibus libellus iste versatur: complectitur enim universam tum **vocalium** tam **accentuum** punctationem (נקוד), sive, ut est in libri prooemio, דקדוק המקרא בנקודה וטעמיה. Titulus proinde idem vult quod is quem R. Jequtiel clarissimo operi inscripsit עין הקורא.

Auctoris nomen ad nostra usque tempora latuit. Jam Elias Lev. in libri Masor. praefatione tertiâ[21], cum libellum citaret, fatetur se nescire quis sit auctor. Hinc apud posteriores litt. Jud. scriptores inter **anonymos** recensetur, ut ap. Bartol. III, 38. IV, 522 Wolf. II, 500. 1289. *Buxtorfius* ant. punct. p. 261 recte vidit libellum citari a Juda ben-Bileam in libro טעמי המקרא, sed temere inde argumentatur eum duumviris illis, ben-Ascher et ben-Naphtali, antiquiorem vel saltem coaetaneum fuisse. Idemque *Wolfius* B. H. ll. cc. observat, qui certe ante XI. saec. compositum arbitratur. Istum autem ben-Bileami locum si viri illi accuratius inspexissent, nomen auctoris non tam diu latuisset. Ibi enim ben-Bileam, verbis usus: „**ego pridem monui** in libr. הוריית הקורא“ (ap. Heidenh. fol. 9 a) aperte **suum** librum esse profitetur. Neque hoc fugit *Heidenheimium*, qui fol. 30 b libellum iterum

---

ferunt **horijath**; *Wolf*. B. H. II, 500 **horajjath** (־ַיָּת), quem secutus est *Gesenius* Lehrg. §. 25; *Luzzatto* vero proll. p. 31 **horâjath** (־ָיַת). *Bartoloccius* bibl. Rabb., qui T. III, 38. IV, 522 habet הורית, T. IV, 301 v. Menachem aliam praebet formam הוראת, referente Wolfio B. H. II, 1289, qui damnat, et B. censet duos libros fecisse ex uno. R. *Jequtiel* denique in libro critico עין הקורא (v. Heidenheimii Pentateuchum חומש מאור עינים inscriptum Rödelh. 1818 praef. p. V) pluralem formam habet הוריות, quam servat Heidenh. in libro de accentt. f. 9. 30 b. — Si ex grammaticâ ratione formam aestimaveris, nihil aliud esse potest nisi Inf. Hiph. Chald- הוֹרָאָה (pro הוֹרָיָה) a ירה Hiph. הוֹרָה instituere (unde Hebr. deriv. תּוֹרָה **institutio, doctrina**); isque reverâ exstat in talmudico usu, ubi הוֹרָאָה pr. **institutio**, hinc **doctrina, contitutio**. Cujus stat. constr. sonaret pr הוֹרָאַת vel etiam הוֹרָיַת (quemadmodum tituli apud Bartolocc. supra allati, proinde pariter ferendi, quorum tamen prior a Wolfio damnatus rectior), stat. def. הוֹרָיְתָא; pluralis autem occurrit הוֹרָיוֹת (pro ־ָאוֹת) tractatui talmudico inscriptus qui de documentis et statutis judicum agit. Alia hujus infin. forma mere Chaldaica est אוֹרָאָה, cujus stat. def. אוֹרָיְתָא tam Targg. quam Talm. et Masor. solitus pro Hebr. תורה, **Pentateuchum** significat. Hinc patet ex variis hujus tituli formis eas quae nostratibus frequentantur horijath et horajjath perinde esse rejiciendas: caeteras vero ־ָאַת, ־ָיַת et ־ָיוֹת pariter ferri, ut ambigas quaenam praeferenda sit. Ultima quidem antiquissimum habet Jequtielis (13. saec.) testimonium: sed altera הוריית in codd. tum libri ipsius tum aliorum auctorum longe usitatissima.

21) Ed. Sulzb. f. 9 b, vers. germ. ed. Seml. p. 52. Locus etiam apud *Jo. Morinum* exx. p. 499, qui rectius vertit quam S. Munsterus et germ. vers. ed. Seml.

citatum alteri ben-Bileami libro tanquam ejusdem auctoris opus adjungit[22]. Ex Heidenheimii libro nomen auctoris etiam aliis nostratium, Judaeorum certe, innotuit, ut res jam conclamata fere videatur. Verum hic scrupulum nobis injicit *de Rossius*, qui in dizionario (v. *Mosè*) et in codd. Hebr. biblioth. suae discriptione ad cod. 764 (T. II, 158) Mosis nomen, ut auctoris, in opere ipso ter innui testatur, non addito cognomine ex quo intelligatur quis sit ille Moses, nisi quod ex Ebn-Ezrae mentione hôc eum posteriorem fuisse appareat, ita ut Mosen Qimchium suspicetur, plurium quippe scriptorum grammaticorum auctorem. Hujus sine dubio fide motus *S. D. Luzzatto* prolegg. p. 31, Heidenheimii ille quidem librum bene cognitum habens, libellum nostrum Mosi cuidam ex Qimchiorum tempore tribuere non dubitavit. Auget difficultatem quod praeter istum Mosen quem de Rossi in scenam produxit aliud etiam proditur auctoris nomen. Nam in margine cod. bibliothecae senat. Regiomont. liber „Horajôth haqqôre“ cuidam R. Salomoh tribuitur[23]. Sed cum iste R. Salomoh vix alius esse possit quam clarissimus ille punctator R. Salomoh qui vulgo R. Jequtiel dicitur, auctor commentarii critici vel orthographici in Pentateuchum nomine עין הקורא celebrati[24]: librum hic הוריות הקירא appellatum patet non alium esse quam notissimum illum עין הקורא; nomine vel propter similem utriusque sensum vel ex frequenti illius in hoc libro mentione permutato aut confuso. Proinde hujus notae testimonio nihil efficitur. Gravius sane est quod de Rossi in codice suo se invenisse dicit Ebn-Ezrae mentionem. Quamvis enim hujus aetas a Bileamidae tam prope

22) Non proprio Marte opinor, sed Jequtielis ad Ex. 30, 31 testimonio. Ipse enim eum in manibus non habuisse videtur, in praef. inter fontes non enumeratum.

23) Ibi ad Gen. 7, 11 מַעְיְנוֹת haec habetur nota masorethica: „sic punctat R. Simson addens bis sic haberi in Masora: sed R. Schelomoh non sic fecit in הוריות הקורא.“ Vide J. W. Köhler Bemerkungen über die Hebr. Bibelhdss. zu Königsberg, in Eichhornii Repertor. f. bibl. u. morg. Lit. XVI, 25.

24) Naqdanum fuisse ex ipsâ re patet. Inter quos duo sunt longe clarissimi et in notis bibl. marginalibus frequentissimi: R. Simson hannaqdan, auctor libri grammatici חבור הקונים (de quo infra) et R. Jequtiel Pragensis, Germanis nomine R. Schelomoh hannaqdan frequentatus, auctor libri עין הקורא (de quo infra). Hi saepissime in marg. masor. codd. bibl. praesertim Pentateuchi (חומש) compositi, ut in cod. Erfurt. 1. (cf. *J. H. Michaelis* diss. de codd. Erf. p. 35). Jam cum eadem nomina in cod. Regiom. margine composita videamus: vix dubium est quin alterum sit Jequtielis nomen, ejusque liber commentarius in Pentat., qui certe ad Gen. 7, 11 מַעְיְנוֹת habet, non מַעְיָנוֹת. — Neque alium esse puto illum R. שלמה נקדן, in glossario ad V. T. Hebr. Gall. Germ., quod cod. mscr. bibl. Paul. Lips. 102 b continetur, citatum fol. 3 b ad Gen. 8, 11. et f. 36 a ad Deut. 20, 2, ubi Pentateuchi ab eo correcti mentio v. *Fr. Delitzsch* Jesurûn p. 242 et comm. „zur Gesch. der Hebr. Gramm.“ in annalibus Lit. Blatt des Orients 1844 no 15 p 294 ss.

absit ut aliqua certe hujus pars in illam incidisse putanda sit [25]; tamen Ebn-Ezrae libri medio demum saec. duodecimo prodierunt, et serius sine dubio quam ut in illius venire potuerint notitiam. Unde non temere errorem alicubi latere suspicatus est *Zunzius* [26]. Equidem apud de Rossium latere nullus dubito. Quicquid enim hic in codice suo viderit: Bileamidae opus esse libellum nostrum, jam extra omnem controversiam positum est. Nam non solum ipsius testimonium habemus supra exhibitum, sed ipso etiam libri argumento, cujus aliquam nuper nacti sumus notitiam, confirmatur [27]: cujus et praefatio et argumentum et ambitus (nam prosaicos et poeticos accentûs complectitur), ipsa denique capita ita cum illo conveniunt, ut non solum ejusdem auctoris, sed idem fere opus esse intelligatur; neque aliter statuendum videatur quam hanc primam fuisse illius editionem.

---

25) Cum in grammaticorum catalogo ap. Ebn-Ezram ben-Bileam tertium a fine locum occupet, quartumque ab Ebn-Ezra in catal. continuato ap. *Wolfium* B. H. II, 595 ss., ille circa finem 11. saeculi floruisse sumitur, cum Ebn-Ezra a fine undecimi ultra med. duodecimum vixerit, anno aetatis 75 mortuus (1070 fere), cf. *G. Lippmanni* prolegg. ad ejus libros S. Haschem §. 1. Saphah berurah §. 3. Sephath jéther §. 5.

26) In additamentis ad catalogum codd. bibliothecae sen. Lips. p. 318. — Quam difficultatem et virorum doctorum haesitationem videns nugator quidam, *Sal. Meklenburg*, in Literaturblatt des Orients a. 1840 no. 13 p. 199 seq. nodum meris conjecturis vel potius somniis facta spernentibus solvendum sibi sumsit. Is enim frivolâ argumentatione pro argumentis usus rem ita facillime expedire sibi visus est ut opus illud quod Bileamides in טעמי המקרא tanquam suum commemorat huic quidem tribueret, sed ab omnibus illis quae hoc nomine feruntur diversum, ex his autem cod. de Rossianum item a caeteris diversum, quippe linguâ Hebr. ab auctore scriptum non Arabicâ (quod plane fictum et a de Rossii fide alienum, qui cod. suum alterum Vaticani exemplum ab eodem interprete Menachemo ben-Nathan'el in Hebr. conversum putavit) et alia ejusmodi.

27) Exstat apud *L. Dukesium* literaturh. Mittheill. p. 197 s. praefatio et capitum totius operis index, communicata a *Frensdorfio* Hanoverano, in cujus manibus est apographum codicis Oppenh. Et praefatio quidem in exordio non auctoris ipsius sed librarii vel interpretis nomine loqui videtur, haec referentis (quae jam in catal. Oppenh. 1782 fere haberi audio): „hunc esse librum ה' ה' ratione compendiariâ (בדרך קצרה scil. scriptum, cf. *Qimchi* praef. Michlol, qui idem de suo opere dicit) et in linguam Arab. translatum Hierosolymis huc (h. e. in terras occidentales) advectum a Josepho ben-Chija librario; et R. Nathan'elem ben R. Meschullâm rursus ex ling. Arab. convertisse in sanctam in urbe Mainza.“ Unde patet librum ab auctore Hebraice scriptum fuisse. Sed quae deinceps sequuntur de libri argumento, quibus auctor consilium suum declarat et utilitatem exemplis commendat, auctorem ipsum dicere tum prima loquentis persona suadet, tum vero id confirmat quod verba maximam partem (ipsaque exempla quibus accentuum usum monstrat) cum libri טעמי המקרא prooemio conveniunt. Ut praefatio ita capita primae partis 17 (de acc. 21 libb. pros.), quorum index exhibetur, fere eadem sunt quae in illo, nisi quod ordo subinde variat. In alterâ parte de poeticis quae 7 capp. absolvitur, idem sine dubio consensus deprehenderetur si liceret comparare (cf. tamen infra Simsonem).

Post hos triumviros qui de accentibus scripsere, plerique satis habuerunt Bileamidae praesertim vestigiis insistere, eaque quae ab illis tradita erant vel repetere, mutatis tantum verbis et praeceptorum ordine, vel in compendium redigere. In his praecipui illius aevi PUNCTATORES (נקדנים): qui non solum codicibus emendate et ad Masorae normam scribendis et punctandis corrigendisque operam navabant, ejusque artis laude clarebant; sed libellos etiam grammaticos, recte legendi et scribendi potissimum praecepta sistentes, concinnabant [28].

Horum primus et tempore et auctoritate erat R. JEQÛTIEL sive SCHELÔMÔH HANNAQDÂN dictus [29]. Hujus liber clarissimus עין הקורא dictus [30] maximam quidem partem est commentarius orthographicus ad Pentateuchum et 5 Megilloth circa vocales et accentûs: verum cum prooemii vel introductionis loco praemittat praecepta de punctorum et accentuum rationibus, huc pertinere putandus [31]. Sed cum nec in publicam lucem sit editus,

---

28) Non ex hôc quidem genere, nec per se ipsum magni momenti, sed propter illustre auctoris nomen memoratu non indignum est R. JAQOBI BEN-ME'ÎR, vulgo RABBENU TAM celebrati († 1171) carmen de accentibus, quod exstat inter de Rossii codices in cod. 563 no. 33 („Jacob Tam fil. Meir carmen de punctatione"), 45 strophis compositum, quarum primam ex cod. Paduano *Luzzatto* proll. p. 28 not. 2 exhibuit. Idque praevium habere ait (pro more solito) tractatum de punctis (שערי נקוד) septem foliis comprehensum, cum ejusmodi praeceptis qualia fere in tractatu circa Masoram finalem; sive ejusdem auctoris, sive alius, et Chajugi quidem praecepta nescientis.

29) Pleno nomine יקותיאל הכהן בן יהודה (abbr. יהבי), Pragensis, et Germanis שלמה הנקדן (vulgo ZALMAN HANNAQDAN *Wolf* B. H. I, 697. *Luzzatto* proll. p. 34), auctore *Eliá Lev.* in Schibrê lûchôth (ad calcem operis de Masorah) v. יהבי. Cf. supra not. 24.

30) i. e. המאיר את עיני קוראיו, ut in praef. explicatur; ergo idem fere quod Bileamidae הוריות הקורא, cf. not. citatam.

31) *Elias Levita* eum dixerat agere de punctis, de Milel et Milra, Maqqephatis et non Maqqephatis, saepiusque citari in margine חומשין, quales etiamnum haberi supra diximus. Addidit *Wolfius* B. H. III, 620 ejus codicem exstare in bibl. Oppenheimeri in 4to inscriptum: על התורה ועל המסורה ועל המגלות ועל הדקדוק; item in biblioth. Basileensi teste *le Long* biblioth sacr. p. 1174; neque de Rossio in dizion. aliud praeterea exemplum notum erat. *J. H. Michaelis* tamen praef. bibl. p. 6 ad marginem cod. Erf. 1. haberi dicit. Jam nostra aetate *Heidenheimius* commentarii contenta edidit in margine editionis Pentateuchi quam inscripsit חומש מאור עינים Rödelh. 1818. 8°. quinque voll. Hic in praef. p. III. duas distinguit operis partes: 1) tractatum de punctorum et accentuum rationibus (חבור על דרכי הניקוד והטעם) [et in his Maqqephi et Methegi maxime, ut videtur], introductionis instar (כדמות הקדמה) 2) corpus operis ipsum (הגוף) correcturis (הגהות) ad Pentateuchum constans. Idem auctor ipse in praefatione, cujus initium ibidem p. IV ss. exhibetur, innuit dicens se multorum juvenum precibus fatigatum primum ad eos instituendos capita (שערים) s. canones (חקים) proposuisse de ratione legendi (טעמי המקרא s. מנהגי ה'), deinde ex ordine codicis sacri (כסדר ה') ad singulos locos ubi aliquid vitii commissum viderit scripturum. Harum priorem tantum Heid. dicit Eliae cognitam videri, olim satis vulgatam, unde omnes posteriores hauserint; hinc Abr. Balmesium omnia praecepta sua de נקוד, de מקף et געיא sumsisse, non raro tamen corrupta,

nec ab iis qui viderunt accuratius descriptus, nihil habeo quod de ejus ratione referam.

Alter est R. SCHIMSCHÔN HANNAQDÂN, celeberrimus et ipse medii aevi punctator, in notis masorethicis ad marginem codicum bibl., praes. Pentateuchi, juxta Jequtielem frequentatus [32], qui medio vel exeunte saec. 13. floruisse videtur [33]. Hujus fertur opus grammaticum, modo הַשִּׁמְשׁוֹנִי ab auctoris no-

omissis et mutatis verbis ac sententiis, vel consulto vel quod integrum opus non haberet, jam tum temporis admodum rarum, ita ut neque auctoribus operum אור תורה et מנחת שי ullum contigisse videatur (se ipsum p. VII notat priorem tractatum novissimo demum tempore nactum esse). Quod aetatem autem nostri attinet, quoniam ex grammaticis tantum Chajjugum, Mervanum, ben-Bileamum, Ebn-Ezram et Parchonem citat, neque Qimchiorum ullum sit vestigium (neque nostri apud D. Qimchium), Heid. eum Qimchiis anteriorem fuisse statuit, h. e. vel exeunte saec. 12. vel ineunte 13.

32) Ut in cod. Regiomont. biblioth. senat. (a. 1313) ad Gen. 7, 11 v. supra not. 23; et saepius in cod. Erf. 1., ubi nominibus honorificentissimis citatur (ut מורינו, ראש הנקדנים, החכם ר' ש') v. *J. H. Michaelis* de codd. Erf. p. 35; hinc in ipsis bibliis rabb., ut ad Gen. 26, 35 cf. *Bruns* in Eichh. repert. XII, 261. — Verum caveas cum *Wolfio* B. H. I, 1152 v. שמשון et II, 299 (in codd. bibl. catalogo) nostrum eundem putare cum Simsone illo qui in cod. Erf. 1. subscriptionibus (Lat. ap. J. H. Michaelem l. c. p. 9 Hebr. ap. Brunsium in Kennicotti diss. gen. p. 405 seq.) dicit se hunc codicem absolvisse, punctis instruxisse, Masoramque addidisse a. 103 = Chr. 1343. W. sine dubio deceptus verbis ap. J. H. Michael. p. 9 „contra vero הנקדן punctator, Simson", quae ad Simsonem illum hannaqdan κατ' ἐξ. cognominatum traxisse videtur, quemadmodum mihi ipsi initio accidit. Sed ab hôc diversum esse tum nomen et tempus suadent: 1) nomen cognomine מינמינון vel ut est ap. Bruns. מצמיון et מיתמיון distinctum, epitheto vero נקדן carens; 2) tempus subscriptionis caeteris aetatis Nostri indiciis multo posterius; tum vero inde manifestum est quod in notis criticis a Brodtmarkio (ad Habaq. 1, 15 nomen profitente) additis codicis tam librarius quam punctator saepius notatur et perstringitur, cum clarissimus ille Hannaqd. nunquam non titulis honorificis, ut dixi, citetur.

33) Non exstat disertum de ejus aetate testimonium: sed duplici indicio conjicere licet. Primum quod *Heidenheimius* apud *Löwensteinium* ad proverbb. p. 37 seq. affert: quod codicis egregii a. 1294 scripti (quo usus est Heid.) librarius, qui in calce nomen suum profitetur Josephum Xantenianum, fil. Qalonymii Neussiani, ad 2. Reg. 5, 6 R. Simsonem avum suum (מורי וזקני הר"ר שמשון) appellat; unde *Zunzius* apud *Delitzschium* Jesurûn p. 258 eum circa a. 1240 floruisse censet. Sed istum Simsonem eundem esse cum Naqdano nostro, ex hoc solo loco non satis constaret, nisi accederet aliud documentum, quo idem confirmari videtur. Exstat enim in eâdem bibliothecâ Lips. Paul. praeter Nostri opus grammaticum (de quo statim), alius codex eodem fere numero signatus 102 b, quem nuper accuratius descripsit *Fr. Delitzschius* tum in Jesûrûn p. 241 seq. tum maxime in diss. zur Geschichte der hebr. Gramm. annalibus Literaturblatt des Orients 1844 p. 294 ss. insertâ. Est glossarium ad V. T. perpetuum, quo singulae contextûs voces Gallicis explicantur, adjunctis obss. gramm. lex. et exeg., quibus in margine a posteriore manu glossae Germanicae appositae sunt. Cujus auctor se prodit natione quidem Gallum, Gallicâ quippe linguâ utens, sed Rheno inferiori accolam et Coloniae vicinum; porro auctores citat non posteriores Qimchio († 1232), aequalem vero habet Crespiam hannaqdan Dromensem (a דרום i. e Drome in Galliâ v. *Zunz* ad Delitzsch. Jesur. p. 257 s.), cujus filius Machir exeunte saec. 13. codicem V. T. in biblioth. Lips. senat. (Kennik. 600) descripsit (v. *Delitzschii* catal. codd. orr. bibl. Lips. sen. p. 273 et *Zunzii* add. p. 315); deni-

mine, modo חִבּוּר הַקּוֹנִים ab operis initio nuncupatum [34], et in duobus codicibus servatum, uno bibliothecae Lips. Paulin. 102[a] in fol., altero de Rossii 389 in quarto [35]. Quod quamvis in istis codicibus, Lipsiensi certe, non unum opus esse sed plura opuscula et fragmenta suis clausulis distincta, pluribus etiam lacunis hiantia, continere deprehendatur, quae non a Simsone ipse sed a compilatore potius ex hujus aliorumque scriptis tum exscripta tum breviata esse videntur [36]: tamen lo-

---

que nomen suum saepius innuit Simson. Unde non temere cum Delitzschio ejusdem Simsonis opus esse statueris 13. saec. viventis.

34) Meminit ejus *Elias Levita* in Masor. hammasor.: primum in praef. tertiâ p. 52 vers. germ. in commemorando tractatu de punctis qui in ed. Bomberg. circa Masoram finalem habetur obiter taxans multorum errorem hunc pro libro השמשוני habentium; deinde accuratius in fragmentis tabularum (vocum compendiis) v. רמ״ח ed. Sulzb. f. 33 b, ubi errorem illum refellit dicens librum השמשוני non alium esse quam qui חבור הקונים vocatur incipiens verbis: "דע כי עקרי הדברים אשר ידברו בהם העברים הם עשרה". Eliam sequitur *Schabbathai* in punctatorum recensione.

35) Illius triplicem notitiam dedit *Wolfius* in Bibl. Hebr.: T. I, 1152 eam quam *J. G. Abichtius* ad calcem Portae acc. lat. versae in append. libri de accentt. Hebr. ex usu lectorio explicatis Lips. 1715 dederat; alteram T. III, 1160 ex *Jo. Felleri* catal. mss. biblioth. Paul. Lips. p. 215; tertiam T. IV, 1003 ex epistolâ *Chr. Wagneri* ad Fellerum a. 1685 datâ, quae codici adjecta etiamnum ibi servatur. Sed hae ad unam fere, et Wagneri quidem caeteris priorem et pleniorem, redeunt, nec praeter ea quae in operis epilogo habentur — nomen et auctorem libri et grammaticorum unde hausit auctor nomina — quicquam exhibent: nihil de partibus et ratione libri. Melius in describendo codice suo egit *de Rossius* (catal. II, 16. 17), diversos saltem qui eo continentur tractatûs distinguens quinque hosce: 1) מפתח הדקדוק 2) liber הקונים — uterque in Simsoni tributus — 3) Anon. capita de Maqqephatis, de Pathachatis in fine versûs, et de Pesîq (Pesiqatis); 4) Anon. comm. masor. in Pent. et Ester; 5) Anon. Comp. Schoraschim s. lexici Qimchiani. — Plura ex Lipsiensi de indole et contentis nuper attulit *Delitzschius* Jesurun p. 16 cum excerptis nonnullis p. 248. 252 et al. Mihi ejusdem cod. accuratius inspiciendi copia facta est ampl. Gersdorfi comitate.

36) Non hujus est loci, ubi accentuum tantum historia agitur, accuratius exponere codicis contenta eorumque quae tractantur rationem, quod in alium locum differo. Haecce tantum h. l. afferre liceat. Initium in utroque codice miro consensu deest: sed caetera etiam diversi generis argumenta fere eadem, eodemque ordine, nisi quod de Rossianus duobus postremis sit auctior. Primus post elementalem quandam institutionem, quae fol. 9 b in clausula מספר הזכרון (qui est Josephi Qimchii) desumta esse dicitur (verum ea admodum breviata et glossis interpolata), de tribus orationis partibus agere instituit, sed absoluto loco de verbis fol. 24 b abrumpitur, clausulâ adjectâ finitam ibi esse clavem grammaticae (מפתח של דקדוק), cui Simsonis nomen addit de Rossianus, quam tamen a sequentis auctore vix licet derivare, quoniam idem locus de verbis deinde recurrit multo copiosius tractatus. Post hanc demum ipse liber הקונים dictus orditur, quod Eliae Lev. etiam testimonio confirmatur: h. l. enim verba supra not. 34 allata inveniuntur a quibus ille librum dixerat incipere. Hinc nomen etiam mirum patet esse desumtum: orditur enim a decem pronominibus, quae a R. Saadia עשרה הקונים (h. e. בעלי הדבור opinor) nuncupata dicit. Duplicem autem potissimum locum continet, quibus gramm. Hebr. ambitus comprehendi solet, utrumque satis copiosum: primum, post introductionem de ordinibus et modis verborum quae fol. 28[b] in clausulâ R. Mordechai (identidem obvio) tribuuntur, fol. 28—60 de tribus orationis partibus (vel potius de verbo et

cus de accentibus, qui copiosius ibi duodecim fere foliis integris pertractatur, ejusmodi est ut quamvis disciplinae ipsi parum aut nihil attulerit incrementi, historicum certe usum nobis praebeat non contemnendum. Hic enim totus ex Bileamide haustus esse videtur. Certum hoc est et manifestum in capite de accentibus 21 librorum s. prosaicis (fol. 87—91), siquidem in hôc editum Bileamidae libellum conferre licuit. Ibi vestigia illius premere deprehenditur: tum in numero distinctivorum duodecim constituendo cum tribus extraordinariis vel ambiguis — Schalscheleth, Segolta et Sôph pasûq (imo Paseq s. P^{e}sîq) —, tum divisione in מתרדפים et לא מ׳ (qui repetuntur vel non repetuntur); tum denique in singulorum rationibus exponendis, quas eodem ordine persequitur, ita tamen ut quae Bil. postea de consecutione (רדיפה) distinctivorum proprio capite habet, distinctivo cuique appendat; ipsis Bil. verbis saepius servatis, ut plurimum tamen in compendium redactis, sed passim minus accurate et confuso sensu (quod in Zarqae praesertim capite accidit, qui locus ad absurditatem usque confusus est), paucis de suo additis. Proinde hic tractatus nil nisi Bileamidae epitome et vero depravata censenda est, qualem haud scio an Simsoni ipsi tanti nominis grammatico possis tribuere, sine dubio ad hujus epitomatorem referenda. — Idem de poëticorum tractatione (fol. 91—93) praesumendum, eoque certius quod exordium ejus, docens quomodo hi accentûs differant a prosaicis, ad verbum fere convenit cum Bileamidae ejusdem argumenti

---

nomine tantum, nam tertius de particulis desideratur, sine dubio casu interemtus, quia hiat ibi exemplum unde codex descriptus); alterum fol. 60—94 de punctis (ubi auctor primâ personâ, ut passim, loquens nomen prodit fol. 72 b: (ואני שמשון המחבר): et de vocalibus quidem fol. 60—83 duce D. Qimchio, cujus Michlol saepius citatur (verum ibi nihil fere de punctis); de accentibus fol. 83—94 duce Bileamide. Denique post compilatoris epilogum fol. 94 b appendicis loco iterum veniunt usque ad fol. 100 tria capita grammatica et masorethica ad eundem locum de punctis pertinentia, eadem fere quae ex cod. de Rossiano tertio loco supra allata sunt, nisi quod in Lips. quartum accedat, carmen R. Mordechai de Qames et Pathach magno et parvo (ad Bileamidae fere modum). — Quem cod. de Rossianus praeterea habet, commentarius masor. ad Pent. et l. Ester, qui teste de Rossio „puncta et accentûs potissimum respicit quorum veras lectiones constituit, conferens saepe codices mss. hispanos variasque de iis criticorum opiniones“, is Naqdani personae tam accommodatus est (ejusdem plane modi quam Jequtielis supra descriptus), ut eidem Simsoni tribuendus videatur, cujus habetur commentarius in Pent. (פירוש התורה) citatus a Lonzano in אור תורה fol. 3 b (quem locum mihi per literas indicavit *Delitzschius*). Jam cum Jequtielis commentarius in praefatione similia prorsus habeat iis quae in nostro cod., in primo illo appendicis capite de Maqqephatis et non-Maqqephatis, de codicum corruptione et Hispanicorum virtute leguntur, et diss. praemissa על דרכי נקוד teste Eliâ Lev. et Heid. in ejusmodi capitibus fere versetur qualia sunt illa tria, de Maqqephatis et non-Maqqephatis praesertim: vide an capita illa non ad commentarium in cod. de Rossiano sequentem potius pertineant, et an a Jequtiele forte sint haec omnia repetenda.

exordio, quod ex libello **Horâjath haqqôre** nuper editum est [37]. Quoniam vero Bileamitici libelli ea pars quae de poëticis acc. agit, deperditâ ed. Mercerianâ, nondum innotuit: iste apud Simsonem locus illius vicem quodammodo supplere existimandus est; et tanto quidem exoptatior, quod, si a pauculis illis ben-Ascheri fragmentis [38] discesseris, nullum praeterea istius de poëticis accentibus disciplinae apud Judaeos medii aevi exstat exemplum [39]. Itaque paucis hunc locum describere e re visum est.

Distinctivos (טעמים) numerat octo: ***Pazer***, ***Zarqâ***, ***Rebhîa'***, ***Legharméh***, ***Jethîbh***, ***Tiphchah***, ***Athnâch***, ***Sillûq***; totidem quot jam apud Chajugum numeratos vidimus, eâdemque nominum significatione partim ab eâ quae nobis usitata est diversâ [40]. Symbolum adjungit פ'ז'ר' ט'ס' א'ל'י'. In singulorum tamen expositione *Schalschéleth* — quam tanquam ancipitem ministris accensuerat [41] — distinctivis addit, ita ut novem efficiantur. Satis perverse Mercâ mahpachata omissa est (quemadmodum in prosaicis Segolta, quam fere acquiparat): haec enim, quia ministrorum signis composita est et in codd. saepius solâ Mercâ indicata, a magistris Judaeorum, certe antiquioribus, vix pro domino agnita fuit [42]; apud nostrum ne nomen quidem proprium sortita, praeter illud quod in Zarqae capite occurrit „רודף Zarqae“ [43]. Ministros autem undecim fere recenset: ***Schôphār Mûnâch***, ***Sch. Haphûch***, ***Schabhûr*** (i. e. Munach superior), ***Galgal*** (Jérach), ***Meajjelâ*** (i. e. Tiphchah in ditione Sillûqi), ***Mercâ*** (tum inferior, tum superior = Qadma), ***Schôchēbh*** (modo Metheg, modo Merca), ***Dechûjah*** (Tiphchah in ditione Athnachi), ***Schalschéleth***,

37) apud *Dukesium* in literarh. Mittheill. p. 197 a *Frensdorfio* communicatum.

38) v. supra part. I. p. 9 seq. 20 seqq.

39) Apud posteriores nihil mihi de acc. poëticis scriptum innotuit nisi haec duo: 1) tabula apud cel. *Sal. Norzium* in מנחת שי ad Hagiographa praef. (ed. Vindob. Vol. IV) ex Eliezer Provinzalu desumta (cum aliâ satis corruptâ) subjunctis notis nonnullis; 2) libellus R. Salomonis cujusdam (Lembergensis) ס' שערי נעימה dictus, ed. *Sal. Dubnensis* Francof. ad Viadr. 1766. 8°. (*Luzzatto* proll. p. 63 etiam memoratus sed falso a. 1776), qui tamen antiquam disciplinam deseruit.

40) v. supra part. I p. 15. 16, ubi singula explicui.

41) In octo enim locis ministrare postea dicitur, ita tamen ut ipse sit stipatus ministris: Silluqo Ps. 3, 3. Athnacho Ps. 65, 2. Prov. 6, 27. 1, 9. Rebio (R. Ger.) Ps. 68, 15. 137, 9. 34, 8. 72, 3.

42) cf. part. I, p. 16. In tabulâ apud *Sal. Norzium* M. mahp. a figurâ vocatur עולה ויורד, et solâ Mercâ appositâ, יורד. In ס' שערי נעימה perinde עולה ויורד et מרכא המפסיק, Mercâ pausans.

43) Ibi dicitur eum nec inter dominos haberi nec inter ministros, esse Mercam non conjunctam (דבוק) cum sequentibus: tonum enim sistere (מעמיד), quemadmodum Athnachus, et Pathach producere in Qames etc.

Maqqēl (sc. superior = Qadmâ), *Ṣinnórîth* (Zarqâ compositus cum Mahpacho et Merca) [44].

Deinde de consecutione (הרדיפה) vel serie ministrorum h. e. quibusnam quisque addictus sit dominis (חלק), et quot cuique domino ministri pareant, quatuor distinctivorum classibus pro ministrorum numero constitutis: 1) qui duobus utuntur: Zarqa et Tiphcha, 2) qui tribus: Legarmeh et Pazer; 3) qui quatuor: Rebia' et Jethibh; 4) quinque: Athnach et Silluq.

Denique singulorum distinctivorum rationes exponuntur [45] h. e. quibusnam quisque ministris utatur, et quâ lege hi alternent, quâ vero duo, tres vel plures concurrant; quos denique quisque ex distinctivis sequentes habeat (רודפים) [46]. Praeceptis ubique addita exempla. Ordo distinctivorum idem fere quo initio recensiti fuerant, nisi quod Schalscheleth ibi omissa hîc locum suum occupet inter Rᵉbiʿum et Legarmeh inserta [47].

His tribus locis absolvitur acc. metr. tractatio quam Bileamides septem capitibus distinxisse ex indice libri Horaj. haqq. intelligitur.

Tertius ejus generis est libellus ille שער הנגינות Latine vulgo porta accentuum dictus (i. e. liber vel caput de acc.), qui in bibl. rabb. editionibus post Masoram finalem ejusque additamenta omnium ultimus habetur fol. 66 b, ex ed. Ven. II. a. 1525 a R. *Jaqob ben-Chajim* adornatâ desumtus, in Lat. linguam conversus a *J. G. Abichtio* [48]. Is quidem inter

---

44) In tabulâ apud Sal. Norzium pleraque nomina tam ab his quam a nostris diversa: Pazer ibi מַרְעִישׁ, Zarqa צִנּוֹר (ut ap. ben-Ascherum et Chajug.), Rebia' מְיֻשָּׁב (Hebr. i. q. Aram. רביע), Tiphcha anterior יְמָנִית (in alterâ tamen tab. דחי ut ap. Chajug. et Simson.), Geresch cum Rebia' compositus (imo Tiphcha superior) כָּתֵף יָמִין et plene כ׳ ר׳ ומיושב, Athnach חֹנָה, Schalscheleth מרעיד; Munâch גִּלְגַּל, Mahpach פוֹנָה. De Merca - Mahp. jam dictum est not. 42 et 43.

45) Inscribitur: עתה אבאר הטעמים ומסבות תהלוכם ומשרתיהם cf. Horajath haqqore cap. 4: לבאר סבת (סבות?) הטעמים.

46) Quod caput in libr. Horaj. haqq. discretum (est cap. 6 על שכונת הטעמים), huc traxit auctor, quemadmodum in prosaicis fecerat.

47) In his quomodo versatus fuerit auctor ut intelligatur, exemplo sit primum Pazeri caput: Pazer, ait, triplici utitur ministro: Merca, Haphuch, Galgal; si duobus simul, et in primâ quidem literâ positis, primus est Mahpach, alter Galgal, ut Ps. 75, 9. 5, 10; si primus non in primâ lit., fit Merca מלרע aut מקל לעיל (Qadma) ut Ps. 5, 12; si alter non in prim. lit., fit Haphuch, ut Ps. 27, 6, neque Merca unquam fit superior לעיל (Qadma) nisi alter sit Mahpach. — Distt. sequentes, excepto uno Athnacho, sunt Zarqa, Rebia', Legarmeh, Jethibh, Tiphcha. — Interdum tribus simul ministris utitur: 1. Haphuch 2. Merca (i. e. superior = Qadma) 3. Galgal ut Ps. 137, 2. 65, 10. 23, 4.

48) in calce libri „accentûs Hebr. ex usu lectorio vel musico explicati". Lips. 1715. 8º. In notis passim Masoram contulit.

anonymos refertur apud harum rerum scriptores [49]. Sed cum ejus auctor idem esse videatur qui libellum דרכי הנקוד s. de ratione punctationis circa Masoram finalem scripsit: quoniam hic dicit se scripturum esse דרכי הניקוד והנגינות; iste autem vulgo feratur esse quidam R. Moscheh Hannaqdan, vel, a lectoris munere et quâ polluisse dicitur arte, Chazan cognominatus [50]: huic quidem libellus noster traditionis illius fide tribuendus esset [51]. Sed huic traditioni vel potius conjecturae quo minus fidem habeam, hoc potissimum impedit quod in nostro de accentibus libello constanter fere Masorah citatur, et hâc quidem formâ in quam editor ejus primus redegit: nam non solum, ut apud Bileamidem aliosque priores, Masorae praecepta citantur, sed ipsa ejus verba exhibentur [52], vel lector ad ipsam inspiciendam relegatur, praesertim propter locorum biblicorum recensionem: vel textualem, citatis locis biblicis ubi Masorah inveniatur (ex adornatione editoris), et ex hâc quidem quâ nos utimur capitum divisione, quam constat non ante R. Nathani concordantias et Masorae editionem Judaeis in usum venisse; vel magnam (רבתא i. e. finalem), citato ordinis alphabetici membro (ערך) [53]. Vicissim vero nos-

49) *Wolf.* B. H. II, 500 et in anonymorum recensione v. שער p. 1438. *Abichtius* §. 12 et in epilogo antiquum eum scriptorem censet, ridiculo argumento usus quod in Masora ad Ex. 21, 85 citatus sit, quod contrarium plane suadere videbimus.

50) Hujus traditionis non alium video fontem quam *Eliam Levitam* in lib., Masor. hammas.: qui cum primum in praef. tertiâ fol. 10 a ed. Sulzb. p. 52 ed. Semler obiter dixerat libellum circa Masoram magnam (h. e. finalem) impressum non esse librum השמשוני, ut multi opinentur, sed Mosis Hannaqdani esse, quemadmodum in cap. *Schibre luchoth* sit expositurus: ibi (fol. 33 b ed. Sulzb. p. 245 ss. ed. Seml.) v. רמ״ח dicit hâc notâ se comperisse significari unum e lectoribus codicis s. exercitatissimis ר׳ משה חזן, ac fieri posse ut hic sit Moses ille qui libellum כללי הניקוד circa Masoram magnam in ed. Venetâ scripsit, a verbis אמר המחבר etc. exorsum, a multis falso pro libro השמשוני habitum, quandoquidem auctor nomen suum משה in multis locis innuat, ut in capitis de punctis Sere et Segol initio ubi verba ממכון שבתו השגיח, et alibi משפט שמוש החולם et similibus. Vides non traditionem sed Eliae esse conjecturam. Talem retulerunt *Buxtorf.* de abbreviaturis Hebr. v. רמ״ח p. 187 et Schabbathai (tanquam suam, ut videtur, unde huic tribuit *Wolfius* B. H. I, 822 v. Moses Chazan). Hinc Mosis Hannaqdani nomine citari solet, ut J. H. Michaelis praef. ad ed. bibl. Hebr. p. 6. *Luzzatto* autem prolegg. p. 33 certe Mosis nomen ei tribuit, addens Germanum eum fuisse videri et vero Qimchio anteriorem, quippe qui hujus nullam mentionem fecerit sed Chajugum, Raschium, Abenezram et Parchonem tantum citaverit!

51) Sic statuit *Heidenheimius* qui in praef. p. 2 et fol. 15 b Mosis hannaqdani nomine citat.

52) ut in loco de Zarqâ, ubi Masorae verba hâc formulâ inducuntur והא לך לשון המ׳, de Pazero magno: ובמסרת יש.

53) Textualis citandae solita formula est וסימן נמסר additâ Parascha vel libri capite, vel etiam relegandi verbo עיין vide etc., ut de Tebhiro. Nostram autem Masoram impressam citari, inde etiam intelligitur quod plerumque omnes ejusmodi loci citantur quibus notam aliquam masorethicam apponere editori placuit. Finalis in Zarqae tractatione sic cita-

ter libellus in Masorah saepius citatur, ut ad Lev. 21, 4. 23, 21. Ex. 21, 35. Unde cum intelligatur alterum opus ex altero suppleri: patet utrumque unâ ortum esse et ab eodem auctore profectum, Masorae scilicet editore R. JA'AQOB BEN-CHAJIM [54]. Quod confirmatur etiam primi libelli de punctis exordio: ubi iste praefatur sibi post absoluta biblia reliquum esse ardorem conficiendi operis tesselati ex rationibus punctorum et accentuum, ut sint tanquam palae annulorum Masorae neque dimoveantur ab his catenae, easque collectas esse spicilegio messorum quorum nomina sibi non cognita esse manifesto [55].

Primum recenset accentûs, et eosdem quidem qui apud BILEAMIDEM (et Simsonem), iisdem etiam nominibus appellatos, nisi quod distinctivi (מלכים) a duodecim ad quindecim numerum creverint (ut quodammodo jam apud SIMSONEM), jam tandem additis tribus qui prioribus suspecti vel ambigui videbantur: Schalscheleth, Segolta et (pro Paseq s. P^{e}sîq, qui illic tertius erat, nunc prorsus praetermisso) Paschta [56]; mutato etiam ordine,

---

tur: וסימן נמסר במסורה רבתא בערך טעם. Ad eandem passim relegatúr in libello priore de punctis, ut fol. 7 b: וכן הוא במסורת עיין בערך למה, fol. 20 b: עיין המסר׳ תעיין סימניהון בערך שכל במסר׳ רבת׳.

54) Quem cum ex diligenti eorum quae supra attuli consideratione agnovissem, miratus sum jam a *Wolfio* B. H. I, 592 v. Jacob f. Chajim hunc libellorum istorum perhiberi auctorem his verbis: „Ejusdem דרכי הנקוד והנגינות de ratione punctationis et pronunciationis in iisdem Bibliis legitur, ubi agit de vocalibus, accentibus aliisque Hebraicae lectionis momentis." Quod tamen nescio quomodo exciderit Wolfio minime sibi constanti, ut qui eodem vol. p. 822 v. Moscheh Chazan Sabbathaei (vel Eliae Lev. potius) conjecturam Mosi illi libellum de punctis tribuentis afferat, portam accentuum vero II, 500 et 1438 inter anonymos collocet. Idem fere de Rossio accidisse videtur, qui in dizion. v. Biblia (rabb.) in describendâ R. Jacobi b. Chajim editione obiter utrumque libellum tanquam editoris affert, in caeteris tantum dissertationem quandam de accentibus recenset.

55) Utriusque libelli tamen non eadem prorsus ratio. Nam cum tract. accentuum nil nisi brevis sit praeceptorum Masorae conspectus et ex parte supplementum: prior de punctis longe amplior Masoram quidem saepius citat ut priores solent, sed parcius lectorem ad eam relegat, et finalem tantum (v. not. 53), et locum copiosius persequitur ex ratione apud grammaticos Jud. in istis libellis antiquitus receptâ, quae nititur hypothesi Chajugi omnes vocales primitus longas esse a literâ quiescente quamvis occultâ derivandas, hinc breves correptas; unde tota versatur in quaerendis causis quae longas vocales tollant h. e. corripiant (סבות שמבטלין הקמץ גדול etc.). Quae apud nostrum ita habetur prout a posterioribus aucta fuerat, ad Qames et Pathach magnum et parvum addito Cholem et Chateph-Qames atque Chateph-Pathach magno et parvo; plane eundem in modum eodemque ordine qui apud Simsonem Naqdanum deprehenditur, omisso tamen primo loco de punctorum nominibus et ultimo de Methego.

56) Hic quidem juxta Jethibhum, qui more tradito utrumque comprehendit, plane abundans errore quodam in hunc numerum irrepsisse videtur, pro Pesîqo male omisso. Mirum

non a Pazero sed ab Athnacho ordiente, quippe symboli normam secuto, ex initialibus nominum literis pro more Judaeorum in huncce modum effícti (ut jam apud Simsonem): שׂסס, רׂחת, לׂפׂף, ימׂט, אׂזז. Ministri quidem novem exhibentur, iidem fere qui apud Bil., sed perperam omisso Galgal s. Jérach (vitio codicis sine dubio), ut numerus eorum potius sit decem, pro Schopharo triplici (quem pro uno numerasse Bil. vidimus) jam numeratis quatuor: Munach, Mecharbel, 'Illui et Mahpach[57]. — Deinde de singulorum distinctivorum cum ministris suis rationibus breviter (quia propter locorum biblicorum enumerationem ad Masoram relegare solet) sed perspicue et distincte agitur, in Zarqa praesertim et Tebhiro, de quibus accuratius et distinctius praecipitur quam in Masorah et apud priores; unde *Heidenheimius* hunc locum in libri sui secundâ parte praeceptis suis pro fundamento subjecit.

Iste cum ultimus fere sit eorum qui antiquam Bilcamidae et Masorae disciplinam simpliciter tradere satis habent: hic igitur dicendi finis esto.

Antequam autem calamum deponam, non possum non gratias quam maxîmas publice agere Francisco Delitzschio, viro in hoc literarum genere inter nostrates theologos uni omnium versatissimo, qui me in his quaestionibus versantem tum libris suppeditatis tum observationibus suis communicatis officiosissime ita adjuvit, ut sine ejus ope haec sic perficere vix potuerim.

Caeterum si qui sint qui mirentur vel sannis excipiant quod tantam in his collocaverim industriam, quae putidiuscula ipsis et fastidio digna videantur: his respondeo me illorum non invidere supercilio qui minutiora investigare dedignentur, siquidem isti nec in magnis multum mihi videntur praestituri; neque hoc praedicare Dei beneficium quod ingenium dederit et ad minutissima quaeque promtum et ad magna intrepidum, illud Clorindae nobilissimae quod est apud Tassonem de me professum:

„L'alte non temo, l'humili non sdegno".

Gierus. liberat. II, 46.

---

quod etiam apud Simsonem tertius mendose affertur Soph pasûq pro Paseq, simili errore, inde manifesto quod hic in singulorum tractatione suo loco restituitur pro Soph pasuq.

57) Merca duplex (מ׳ כפולה), quae a Judaeis pro ministro habetur, neque apud nostrum tabulae ministrorum inserta, sed ut ap. Bil. in Tiphchâ tractandâ memoratur nomine ב׳ מרכות.

Emendanda et addenda.

1) in particulâ I.

p. 2 vers. 11: pro petendum lege repetendum.

- 3 not. 5 Masorae nomen simplicius etiam ita expediveris ut universam traditionem circa textum sacrum (מקרא) comprehendat, h. e. quaecunque circa hunc tam legendum quam scribendum ore et usu tradita ferebantur observanda; deinceps literis et notis mandata et in dies aucta.

- 4 not. 8 v. 16 dele occurrit. — Ibidem de nomine מעזיה hanc addas conjecturam: forte thermarum ejus urbis celebratissimarum est nomen: siquidem in Talm. Schabb. f. 109 a habetur nomen thermarum עזיא vel אזיא, quarum aquae a Talmudicis laudantur, teste *Wähnero* in antt. Ebr. II, 711 (forma אזיא derivanda esset a אזא Chald. accendere, quod balneo calefaciendo adhibitum testatur Buxtorf. lex. Chald.).

- 5 not. 11 v. ult. ad בן אשר addendum: et בן נפתלי.

- 7 v. 5 et not. 14 quod Qadma dicitur יורד ועולה forte referendum est ad Munachum cum Qadma pro vario vocis numero alternantem (quemadmodum in poeticis de Qadmâ pesiqatâ cum Mahpacho et Mercâ alternante occurrit); vel etiam de voce a Qadmâ ad sequentem ministrum (distinctivi vicarium) descendente, ut in Mas. ad Num. 36, 3 loci illi 18 qui Zarqae praemittunt Mercam post Qadmam dicuntur סלקי' ונחתי' h. e. עולה ויורד habentes. — Paulo post ibidem המסכן, quem suspicabar esse Legarmeh, haud scio an sit potius Jethibh, qui et ipse apud posteriores inter 12 dominos refertur (Paschtam ille quidem includens, sed passim, ut in Port. acc., juxta illam numeratus).

- 8 v. 1 pro quidam l. quidem.

- 9 v. 7 et 14 numeris 2. 3. addendi unci: 2) 3). Ibid. not. 16 pro locus iste leg. locum istum.

- 11 v. 3 ad „Schophar gadol = Munach" addendum: et ante Zaqephum quidem, i. q. 'Illui posteriorum. — Ibid. aetas Chajugi pro a. 1020—40 potius 1000 p. Chr. secundum Rapoportum definienda est, v. comm. meam de rei gramm. apud Judaeos initiis p. 12.

- 12 not. 22 ad locum de Hebraicis Chajugi versionibus addendum: Excipiendus tamen liber נקוד, cujus versionis Geqatilianae nec apud ipsum Geqatiliam in praef. fit mentio, nec aliud ullum est vestigium; quae autem hucusque innotuerunt versiones (cod. Monac. et Michael. Hamb.) Abenezrae sunt. V. comm. citatam p. 19. — Ibid. ad not. 23 de libello נקוד addendum, eum non a Chajugo ipso compositum sed ex ejus potius et aliorum forte libris compilatum videri, v. comm. citatam p. 21. — Ib. not. 25 dicere oblitus sum, acc. tabulam in cod. Michael. Hamb. multo emendatiorem esse quam apud Dukesium, eâque de causâ in app. II. exhibitam.

- 13. v. 9 Pazeri parvi et magni eandem primitus figuram fuisse, confirmat etiam nomen שני פזרין et duplicis Pazeri figura (ˊ ˊ) apud Qalonymum et Sant. Pagninum in

Hebr. institt. — Ib. v. 11 post Metheg 26) excidit uncus clausae parentheseos signum. — Ibid. v. 17 seqq. ad Schoph. gadôl et קלקל conferenda distinctio Schopharorum נשׂואי et קלקל p. 15, unde patet illum (in tab. Athnacho adjunctum) esse i. q. apud posteriores 'Illûi (cui locus ante Athn. Zaq. et Zarqam). Paulo post Dechî et Dechûjah esse Meajjelam posteriorum v. part. II, not. 10. — Ib. not. 26 pro paulo infra leg. paulo post.

p. 14 not. 30 addendum, apud nostrum ipsum haberi פשט pro למעלה, quam proinde hic vidit esse Paschtam, a nemine posteriorum agnitam.

- 15 v. 7 seqq. tractatum istum alterum apud Chajugum ex Bileamide sumtum et corruptum esse suspicor, quia ex hoc solo et restitui et intelligi potest. Ibid. v. 16 pro Rebîam lege Rebhî'um: nam hic mascul. generis est, *a* autem ante ע cum furtivum sit (unde sic potius scribendum Rebhîa'), additâ terminatione perit. — V 17 leg. similis pro similes; et v. 18 post העמדה parenthesis unco claudenda. — Ib. v. 20 ss. catalogus ministrorum perinde ut dominorum cum Bileamidae tabulâ conferendus erat, quod factum part. II. not. 10; unde patet 1) Talscham magnam prorsus delendam esse irrepticiam, parvam autem post Schoph. הפוך ponendam; 2) Schalscheleth reverâ, quod conjeceram, esse Dargam, Dechujah vero Meajjelam; 3) Galgalum in fine addendum; numerum autem pro octo aut novem aut septem ponendum.

- 16 v. 5 a fine pro „ad laevam scribentis" ponendum ad laev. libri (ספר), ita ut auctor libri paginam legenti adversam cogitasse videatur.

In Appendice I. p. 17 ss. interpunctio multis in locis a me emendata, magis etiam emendanda videtur, duce potissimum rhythmo. Et p. 17 quidem v. 13 interpungendum post מארכה et בארוכה (non post לאחותה); v. 17 post תלשא; v. 21 post פשטה simplex punctum ponendum pro duplici; p. 18 v. 3 post גרשה; v. 11 post מלכים; v. 4 a fine post מארכה duplex punctum ponendum pro simplici, idem in fine v. 3 (quippe ad distinguenda non solum capita sed etiam ejusdem loci diuersa praecepta adhibitum); p. 19 v. 11 interp. post וגעיה; p. 21 v. 10 post נמשכה; p. 22 v. 8 post 52) יהוה; v. 12 vero post (Ps. 119, 56) punctum duplex delendum. — Praeterea in append. haec fere corrigenda vel addenda:

p. 17 not. 5 de Merca addendum: quae dicitur „conjuncta sociae (Tiphchae) fasciâ (s. tractu i. e. virgulâ) ad dextram et sinistram plexâ (s. flexâ)".

- 18 v. 20 bis excidit Darga in לו et יגף. Perinde p. 22 v. 4 a fine Telischa magna in voce תרסא; v. 3 פזר falso Zarqam habet pro Pazero; et ultima vox legenda ח'ז'ם'.
— Ib. in notis v. 4 pro „idem vero praeceptum" distinctius dicendum, et sic habetur pr.; v. 7 not. 52 leg. אל׀ אלהים cum Pesîqis.

Denique displicet mihi in hac disp. parte saepius excidisse vocem sequior pro posterior, et metrici libri vel acc. (ex usu vulgari) pro poëticis. Quod nomina propria Hebr. non eâdem semper ratione Latinis literis expresserim, non tam inconstantiâ aut negligentia factum, quam quod constitutâ semel formâ normali, deinceps, ad levandum etiam typothetae laborem, de normae rigore remittendum putarem.

2) in particulâ II.

p. 1 not. 2 v. 3 a fine leg. operâ illius excusa tantum pro operâ tantum illius.

- 2 v. 2 a fine pro כללי כ' l. דרכי כ': nam sic inscriptus est tractatus circa Masoram fin.

- 8 not. 10 ad numerum ministrorum septem addendum, totidem numerari apud ben-Ascherum et Qalonymum. — Ibid. v. 8 pro *Athnâchtâ* leg. *Athnachtâ*.

p. 4 not. 13 adde: Sed cum ex iis quae paulo post attuli pateat non ad ordinem מונח sed ad עלני pertinere istam conditionem: spectare videtur legem toni notam, quâ in penultimâ altior est (hinc מלעיל dictus) quam in ultimâ (מלרע), cf. acc. acutum et gravem ap. Graecos.

- 7 v. 12 pro Idemque leg. Idem.
- 8 v. 5 a fine pro הקירא leg. הקורא. Ib. not. 24 v. 4: de quo et ipso infra.
- 12 not. 35 v. 10 post in excidit subscriptione; v. 11 post „in fine versûs" adde: (et Athnacho). — Ibid. not. 36 v. 5 a fine pro עשרה leg. עשרת; et v. 4 adde: Hi Saadiae עשרת הקונים exstant etiam ap. *Ebn-'Ezram* Zachoth ed. Lipm. f. 32 b, qui recte exponit כי הם קונים כל הדברים. Ibi vero simile etiam disserendi initium: ודע כי עקרי סמני כל הדברים שידבר אדם עליהם הם עשרה. Hinc exordium illud et forte totus de pronominibus locus apud Simsonem ex Ebn-'Ezra desumtus esse intelligitur.

. Denique hac mihi liceat opportunitate uti ad emendandam et supplendam commentationem tertiam nuperrime ad celebranda Wegscheideri semisaecularia editam, quae mihi, urgente necessitate, intra paucorum dierum spatium et scribenda et ab operarum mendis purganda erat, tantâ festinatione ut, in fine praesertim, adversaria relegere nedum perpendere otium vix superesset.

3) Comm. de rei gramm. apud Judaeos initiis etc.

p. 2 vers. 3 delendum et accipiendum. — Ibid. v. 6 seqq. nominis סופרים ratio accuratius duplex esse dicitur. Primitus rerum ipsarum quae codice continentur (h. e. legis) peritum significat, qualis 'Ezrâ et qui eum secuti sunt *γραμματεῖς*, et Rabbanim, ipsique Talmudistae; quae ratio ab hôc loco aliena. Altera, quae sola h. l. agitur, ad textum codicis sive verborum quibus res continentur seriem pertinet, ab 'Ezrâ et ipsa repetita, simul pro criticorum principe habito, qui tum prisci (antetalmudici) tum recentiores (post Talmudis aetatem), inter quos Grammatici. — In quâ vocis ratione derivandâ ibid. not. 4 in fine Gesenii error severius a me notatus.

- 4 not. 6 leg. كتاب الكتاب et p. 5 not. 11 שְׁוָא.
- 6 v. 3 a fine pro virtute leg. arte; p. 7 v. 14 dele fuisset; v. 3 a fine pro quia haec dicendum quippe quae.
- 8 v. 6 dele tantopere, v. 12 pro paulatim in usum venisse pone usu invaluisse; v. 14 ex eo pro inde.
- 9 v. 2 seqq. ad 1) de Tiberiensium auctoritate adde, quod omnis punctatio ab his tradita ferebatur, teste Ebn-Ezra; et quod nomina accentuum apud Chajugum (ed. Duk. p. 197) ex linguâ Tiberiensium desumta esse ab hoc dicuntur; unde idem de vocalium nominibus statuendum videtur. Porro ad 3) quod de Palaestinae tanquam terrae patriae, ארץ ישראל dictae, in pronunciatione et lectione scripturae sacrae auctoritate et principatu levius tantum attigi, hoc certissimum est et plurimis veterum testimoniis uno ore confirmatum. Cf. *Chajugum* praef. p. 2 ed. Duk.; *Raschium* ad Berach. 62 a (ubi Talm. innuit modos scripturae — טעמי המקרא — dextrâ monstrari) testantem se vidisse lectores e terrâ Israel venientes pro accentuum varietate manum moventes (Buxtorf. punct. p. 91). Insignis autem de eâ re locus est in praef. libri *Horaj. haqqore* (ap. Dukes Mitth. p. 197) ubi est: „lectio (קריאה) haec in terrâ Israel (scil. circa accentûs, quam auctor traditurus est) est lectio 'Ezrae הסופר, eo quod coetus Israel (עדת י׳) hucusque nunquam ab hac terrâ separatus, exceptâ solâ urbe Jerusalem tempore regni

Christiani (אָדָם) in Israel, liberos per omnes deinceps aetates (דור אחר דור) in hâc lectione instituit". Hinc tanta horum pronunciationis apud Judaeos existimatio fere superstitiosa, ut quae ipsi in literarum et punctorum accentuumque varietatibus asse-qui non posse sibi videbantur, ea illis tribuerent, neque magistris tantum et viris doctis, sed universae turbae, mulieribus etiam et parvulis (cf. voces eorum ap. *Buxtorf.* punct. p. 20 ss. 207 ss. *J. Morinus* exerc. p. 509); scilicet quod ibi lingua patria a majoribus tradita ab hâc quam in exiliis traxerit labe immunis et integra conservata esse videbatur. Sic fieri poterat ut et Masoram et punctationem Tiberiensium ad Ezram revocarent.

p. 11 v. 1 l. conjungunt pro — ant. — Ibid. not. 18 orientalium et occidentalium pro — talem.

- 13 v. 4 l. كُتُب; v. 7 post „usu" adde desumti. Ib. not. 23 v. 3 dicendum erat: sive lapsum repetentes Cat. Bodl., ubi libellus iste olim dicebatur esse „Judae Fessani", scil. Chajugo tributus (Wolf. B. H. I, 425. II, 547); sive ex confusione ejus urbis ad quam data erat epistola, cum auctoris urbe.

- 14 v. 8 leg. رسالة; v. 10 פירה pro פירהא; v. 12 neglectum" (cum signo citati loci finem indicante); not. 24 v. 6 excidit Eldadus ante „in Bab."

- 15 not. 26 v. 2 l. apto pro aptum; v. 6 שׂפה pro שפה, v. 7 علج.

- 16 not. 28 v. 6 l. transscriptum pro — am.

- 17 not. 31 v. 3 pro forte dicendum sine dubio.

- 19 not 38 v. 3 pro levissimâ ratione distinctius: non aliâ ratione quam quod hunc solum Chajugi interpretem esse putaret, ignorans Ebn-Ezram. — Ib. not. 41 leg. 204 pagg. 8°.

- 20 v. 6 pro literis leg. de literis. — Ibi vero in adumbrandâ Chajugi ratione, grammaticorum principis, aegerrime fero quod urgente prelo plura, quae gravissima sunt, omiserim. Primum praecepta egregia de Schevae pronunciatione (praef. p. 4 seqq. p. 19 ss. coll. p. 200 ss.) a posteris repetita; et de Dagesch forti et leni (p. 7 seqq. 22 ss.) quae apud posteros passim minus recte traduntur. — Deinde hypothesin illam (ex *J. Morino* exercc. p. 434 notam) quâ (defectivâ longarum orthographiâ, ut videtur, abutens) productas quoque vocales a literis quiescentibus non scriptis (נָח נסתר) repetendas statuit. Quod cum primum in praef. libri ס׳ הנוח de Qames tantum ut in שָׁמַר, דָּבָר ex analogiâ formae צִבָּאר et צִבָּר admiserat (ex vers. Geqatiliae p. 21 ed. Dukes, nam in Ebn-Ezrae vers. hic locus plane mutilus minime intelligi potest): deinde in ipso libro ad caeteras quoque vocales longas transfert; in libro נקוד vero (p. 179 ss. ed. Duk.) de omnibus universim vocalibus statuit, neque de longis tantum sed brevibus etiam, praes. in syllabâ simplici positis, partim accentu conjunctivo correptis! Id quod primi libri modum tantum excedit et a Chajugi sobrietate tam alienum est, ut huic vix tribuere possis. Verum hanc rationem posteriores fere omnes secuti sunt, in quaerendis causis occupati quae longas vocales tollant (cf. supra not. 55). — Denique quae habet de flexione verbi (ex vers. Geqat. ed. Duk. p. 27 ss.; est exordium verborum 1. Aleph). Ibi bene duplex distinguit: verbum simplex (קל) et auctum (כבד), quo verbalia comprehendit, paradigmatis פעל varietate inter se distincta. Termini jam fere quales apud posteriores. Caeterum legem triliterae radicum formae non primus revelavit, prioribus, ut Menachemo, minime incognitam, sed vindicavit tantum contra errores.

- 21 not. 44 locus Parchonis non accurate allatus. Ibi ערוך non est Chajugi liber sed lexicon Arabicum, quod ille cum legisset et rationem ejus (דרכיה) didicisset, eandem ad ling. Hebr. transtulit et in libro suo secutus est. — Ib. not. 48 adde: *Parchon* etiam in praef. duos tantum priores ejus libros memorat, quemadmodum Geqatilia, tertium ignorat.

HALIS TYPIS HEYNEMANNIANIS.